VITT EMANUELE

14
13-A
8

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
16 A
36

Col. 53e

14-13-A-8

IACOBI ACCARISII BONONIENSIS,

S. Theologiæ Doctoris, & Inquiſitionis Romanæ Qualificatoris,

PRÆLECTIONES, PHILOSOPHICÆ, ET ORATIONES.

S. D. N. VRBANI VIII. PONTIFICIS MAX. auſpicijs habita.

Conu: S.ta Maria de Scala Urbis.

DILINGÆ,
ANNO M. DC. XXXIX.
Formis Academicis
Operis CASPARI SVTORIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

TYPOGRAPHVS LECTORI S.

IUſſu Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi S. R. I. Principis ac Domini, Domini HENRICI, Epiſcopi Auguſtani &c. Principis ac Domini mei Clementiſſimi, eruditiſſimas haſce Prælectiones, Orationéſque, iam antehac Romæ, præter poſtremam, ſeorſim editas, ſimul iunctas Typis Aca-

demicis ſubieci. Quod veluti gratæ mentis monumentum, Illuſtriſſimus Princeps meus, pro multis Officijs Celſitudini ſuæ, & Eccleſiæ Auguſtanæ, ab Autore præſtitis, publicè extare voluit. Ego verò Erudito, Studioſóque Lectori, tum oblectamento, tum emolumento futurum confido. Neq; hederam, vino vendibili appendo.

PRÆLECTIO I.

Quâ

PHILOSOPHIA CONTEMPLATRIX, NEGOTIOSIS HOMINIBVS, AVLICIS præſertim, vtilis eſſe demonſtratur.

HABITA

à

JACOBO ACCARISIO

S. T. D. &c.

CVM ARISTOTELIS METAPHYSICA, IN PVBLICO Romæ Gymnaſio, iuſſu S. D. N. VRBANI VIII. interpretari aggrederetur.

XVII. KAL. IVLII.

ANNO M. DC. XXXV.

LECTORI.

CONIECTVRAM feci iam, inquies, ex ipſo tuæ prælectionis titulo, me operam luſurum, ſi illam legerem. Quorſum enim, irrito labore, demonſtrare conaris, philoſophiam contemplatricem, diuitijs, honoribúsque in aulâ conſequendis perutilem eſſe, cum nulla ad id probandum ratio conficiens ſuppetere poſsit? Quiſquis ita ſentis, ſcire te velim, me in hâc proluſione, non tam Philoſophum agere cupijſſe quàm Rhetorem, cui argumenta, modo probabilia, ſatis eſſe ſolent ad fidem faciendam. Quòd ſi iudicij ſeueritate ab Orationis meæ cenſurâ necdum deſiſtes, ad humanitatem tuam prouocabo, quæ mihi patrocinium certiſsimè pollicetur. Vale.

PRÆ-

PRÆLECTIO.

CVM euoluendi Ariſtotelis munus mihi demandatum fuerit (Cardinales Eminentiſſimi) partes meas intelligo eſſe: vt, in hoc totius operis veſtibulo, Philoſophiam, laudibus quantis poſſum maximis, more maiorum, commendem. Verum, neſcio quo pacto accidat, vt aptiſſima exornationis materies, nonnullorum præiudicio impediatur: qui exiſtimant, ea philoſophiæ ſtudia, quæ in ſolâ mentis contemplatione conſiſtunt, cùm alibi, tùm in aulâ nominatim, irrita penitus eſſe, nulliq; Reipublicæ parti, quæ tota in actione verſatur, accommodata. Imo, eouſque progrediuntur, vt dicant, philoſophos iam ridiculorum capitum nomen cenſeri: ac propterea ab aulicorum conſuetudine eſſe prorſus exigendos. Quò tu nobis, inquiunt, hominem obtrudis, qui medio in aulæ ſplendore, vmbraticis neſcio quibus ſtudijs perpetuò inſudet? Qui, dum cæteri fortunæ orbem, ſiue conſcendere, ſiue verſare conantur, ipſe ſolus, ſe ipſo contentus, orbium cæleſtium contemplando motui, dies noctéſque inhæ-

 reat?

reat? Qui, non de principum gratiâ, ſed de Solis, Lunæque defectu aſſequendo, magnopere laboret? Quouſque gignendorum intra terræ viſcera metallorum rationem curioſius introſpiciet, cæteris mortalibus in eam curam intentis, vt rem nummariam nauiter agant? Quouſq; maris acceſſum, receſſúmque in medijs aularum æſtibus perſcrutabitur? in corporum conſtitutionibus, non in dominantium ſenſibus introſpiciendis, ſolertiam ipſe ſuam adhibebit? Quæ cum omnia ad ſatietatem vſque effuderint, in aliam ſe vertunt partem, grauiſſimiſque exemplis ſententiæ ſuæ pondus afferre nituntur. Sapientiſſimarum rempublicarum, principúmque decretis cautum aiunt eſſe, vt philoſophi deſidioſi homines, ac inutile terræ pondus, ab vrbibus explodantur. In medium afferunt Domitiani Imperatoris edictum, quo voce præconis vniuerſa philoſophorum turba, eodem die, imo eodem temporis puncto, Roma extorris facta eſt, inque vltimas oras deportata. Quò magis æquum eſt hunc Imperatorem admirari, qui, cum in Muſcis captandis ſtylóq; transfigendis, otioſus ſibi eſſe non videretur, adeò tamen philoſophos contempſerit: vt

eo-

eorum meditationes ſuo negotio magis otioſas, hoc eſt Muſcis leuiores exiſtimauerit. Afferunt aulicarum, politicarúmque artium peritiſſimam Neronis Parentem Agrippinam, quæ, cum adoleſcenti filio cæterarum ſtudia diſciplinarum affatim indulſiſſet, ſeuerè tamen illi philoſophiâ interdixit, tanquam (vt Suetonius ait) imperaturo contrariâ. Afferunt ingentem philoſophorum numerum, qui reipublicæ, regnorúmq; adminiſtrationibus admoti, ceu ineptiſſima capita, à ſubiectis ſibi populis exſibilati ſunt, atque à demandatâ gubernatione depulſi. Ac vt de cæteris ſileant, vnum loquuntur Alphonſum Caſtellæ Regem Decimum, cui, cum ſiderum conuerſionibus contemplandis impensè vacaret, Sanctius Filius, conuerſo intereà Regno, ínque ſuas partes callidè translato, viuenti videntíque Imperium eripuit. Tum ad remotiora antiquitatis ſecula relabentes, teſtantur Demetrium Phalereum primarum partium philoſophum, qui in Athenarum præfecturâ, cum omni ſe vitiorum cœno inquinâſſet, adeo crapulæ, abdomeníque ſe mancipauit, vt ex reliquijs duarum cœnarum cuipiam dono tranſmiſſis, tria ille ſibi haud pœnitenda præ-

dia coemerit. I nunc, dicaſque philoſophos macie, faméq; confectos, rerum abſtruſarum contemplationi vſque adeò intentos eſſe, vt cibi, potúsq; obliuiſcantur. Quòd ſi hæc, quæ hucusq; diſſerui. mus, non vitio philoſophiæ darentur, ſed ijs, qui diſciplinam eiuſmodi ſuis vitiorum ſordibus contaminârunt: qui, inquiunt, validiora tela vitabitis, quæ ictu certiſſimo deſtinantur? Nonnne meliorem ætatis florem innumerabiles iuuenes, ineptis hiſce ludificationibus, miſerrimè deterunt? Nonne patrimonia ſua in deſidioſis Gymnaſiorum officinis, irrito conatu, dilapidant? oſcitantéſque, ceu Fuci aliorum Fruges conſumere nati, in vmbratili ludo, otiantur: cum: vel ad martialem Solem, vel ad aulicos honores, præclaro naturæ incitamento, vocarentur? Quam vero cladem corporibus, quam inde perniciem animis importari arbitrabimur, cum illa otio flaceeſcant, hi vero meticuloſi, deſides, effæminatiq; reddantur? O nunc maximè, ſi vmquam aliàs, veriſſimam ingenioſi Satyrici vocem, Adoleſcentes in Scholis ſtultiſſimos fieri, cum nihil ex ijs, quæ in vſu habemus, aut audiant, aut videant. Quid plura? Vicerimus aiunt, ſi vel ſolum philo-

ſophi

ſophi ſimulacrum, ſuis adumbratum coloribus, ante oculos propoſuerimus. Intueamini hominem ſuſpenſæ mentis, à ſenſibus abalienatum, ſemper meditabundum, attonitum: qui, de re quâpiam interrogatus, tanquam fulminis ictu percuſſus, ſtupeat: ineptè conſutus incedat, ineptius præcinctus, vndique malè dolatus. Omnino, non à ligone venientem Fabricium, ſed ex Dolio Diogenem contemplemini. Quid ergo? An moderandæ Reipublicæ, aut exercitibus ducendis, aut aſſequendis honoribus, exſibilandum hoc caput aptiſſimum iudicabitis? An in tantâ decori ſpecie, in ſplendidâ Aulæ Scenâ, huic ſtuporis ſimulacro locum vllum deſtinabitis?

Hæc ſunt, quæ tamquàm inſtructiſſimas copias, iniquiſſimi rerum æſtimatores, hoc eſt philoſophiæ contemptores, aduersùs huius diſciplinæ ſtudia in aciem producunt. Quæ quoniam, vt ex vultu cõijcio, non ſatis grata vobis accidunt, orationem conuertam, claràq; voce pronuntiabo, Philoſophiam contemplatricem, non ſolùm ad multas Reipublicæ partes opportunam eſſe cenſendam, ſed etiam aulicis viris eſſe maximè accõmodatam. Expectaret hic fortaſſe quiſpiam,

dum meæ probationis caput ex eo confi-
cerem, quod nonnulli philoſophicam fa-
cultatem ab ingenio ad manus perperam
transferentes, metalla neſcio quæ, igne,
& aquâ comminuere ſic didicerunt, vt au-
rum, naturâ quamuis reluctante, extra-
hant. Verumtamen fumoſos eiuſmodi
homines libenter miſſos facio: cum, nec
ſuæ mentis obſcuritatem verâ ſcientiâ,
nec fuliginoſas manus, vero auro illumi-
nare vnquam potuerint. Longiſſimè etiã
continebo ſermonem ab Aſtrologia diui-
natrice, quæ mercenariâ fraude, philoſo-
phiam impudentiſſimè mentitur. Cum
enim à ſideribus incerta futurorum euen-
ta, nullo rationis ductu, ſed vaniſſime
ſomniando, perquirat; non ſolum certiſ-
ſimam aulis, ciuitatibúsq; perniciem, ſed
præſentiſſimam Coniectoribus ipſis rui-
nam importat. Remotis itaq; vendibi-
libus argumentis, quæ fucum faciunt ve-
ritati, conficientem rationem, licet cun-
ctis obuiam, adhibebo.

Duo, in Aulâ præſertim ſacrâ, ho-
minum genera ſunt, Theologi ſcilicet, ac
Iurisprudentes: quorum in ingenijs, non
tamquam ſuper commentitij Atlantis hu-
meris, ſed veriſſimis ſapientiæ capitibus,
aulicum cœlum innititur. His vtriſque
phi-

philoſophica ſtudia, quæ in mētis perquiſitione conſiſtunt, ſic neceſſaria ſunt: vt qui id neget, non tam bellum cum philoſophiâ, quàm cum rectâ ratione ſuſcipiat. At de cæleſtium indagatrice Theologiâ, non erit opinor, qui ambigat: cum Theologorum nullus Diuinitatis ſolem, certo rationis obtutu in Scholis contemplari queat, niſi oculos naturæ lumine perfecerit. Reſiſtet in eo potiùs quiſpiam, dicétque, philoſophicas commentationes ijs ſuperuacaneas eſſe, qui iuris, legúmq; conſulti, nobiliora in aulis munera exercent. Sed facile eſt cum his quoque victrices manus conſerere. Quid enim inuolutum magis, hoc præſertim tempore eſt, quàm vniuerſa legum Iuriſque ſcientia? Quid faciet Iuriſperitus, in tantis altercantium patronorum contentionibus? in immenſâ legalium librorum ſyluâ? in tantâ ſententiarum, de re eâdem, diſcrepantium varietate? Quid inter inſtructas, vtrinque, fallacias? Inter pares laterum, altiſſimarúmq; vocum defatigationes? An mutua vtriuſque partis ſtudia tuebitur? At bella æterna, certiſſimâ patrimoniorum effuſione, fouebit. An ad doctorum codices, interpretationesq; confugiet? Sed par vtrobique, &

quidem ingens, illorum numerus adeſt: cum nulla ſententia ſic abſurda inueniatur, quæ multos ſui patronos non habeat. An miſſâ auctorum turbâ, ad ſolam rationum vim prouocabit? Verum vix vllum eius veſtigium, in totâ quorundam leguleiorum regione, apparet, vt profectò mirandum ſit, ab Iuſtitiæ regno tam longè aliquorum vitio, rationem aliquando exulare. Vnum itaque ſupereſt à philoſophiâ perfugium: cuius ope Gordios quoslibet nodos facillime euoluet. Cum enim, diuidendi, ac definiendi certiſſimas præbeat regulas, ſtatim ſolertiſſimus Iudex, explanatis textuum ambagibus, omnia, ſolo veritatis momento, ponderabit, ac difficillima quæque litium inuolucra, citiſſimè explicabit.

Sentio, qui mihi vellat aurem, atque à curſu, tamquàm propoſiti argumenti transfugam, repræhendat. Itáne verò, inquit? An aliud pro alio tam confidenter ſuppoſuiſti? Philoſophiam contemplatricem, aulicis, negotioſiſque hominibus eſſe perutilem, te euincere velle pollicitus es, nunc verò ad Theologos, & Iuriſperitos diuertis? Sed quid tandem moroſiſſimi homines dicerent, ſi oſtenderem, Doctorum hoc genus homi-

num,

num, aulicis adeò permiſtum eſſe, ac indiſcretum, vt ſeparari ab ijs nullatenus poſſit? Verumtamen id non molior in præſentiâ. Nullâ fugæ ſuſpicione, imò ne vllâ quidem capitis declinatione, ab intentato ictu me ſubtraham. Id vnum quod vrgent, vnicè agam. Philoſophicæ inſpectionis ſtudia, propriæ aulicorum naturæ, intimæq; eorundem formæ opportuna eſſe conficiam. Explanatiſſimum eſt, in aulicâ ſcenâ, perdomiti, ac ſubacti hominesingenij, primas ſemper partes repreſentâſſe. Cum enim aulicorum ingenia ea debeant eſſe, quæ, ſummâ demiſſione, dominantium voluntatis penitus ſequacia ſint, atque ad omne obſequium ita prona, vt facili negotio in quælibet eorum ſenſa immigrent: profectò, hâc facilitate qui caret, fruſtra periculoſæ nauigationis aleam ſubit. Hanc verò ſubacti ingenij demiſſionem, à contemplatrice philoſophiâ mutuabitur, quicumque à Lyceo gradum faciet ad Regiam. Siquidem reluctantes præferocis ingenij impetus ità contundit, ac perdomat difficillimarum rerum meditatio; ità contumacis, quantumlibet mentis vires fatigat ac frangit, latentis, ac refugientis indagatio veritatis: vt ſæpe in

cor-

corpus ipſum animi defatigatio redundet. Mentiar, niſi quandoque viderimus adoleſcentes immodico, indomitóque præditos ingenio, qui cum, nullis parentum precibus, nullo pœnarum terrore, nullis principium Imperijs comprimi potuiſſent: hi ſedulæ ſtudiorum cognitioni deditі, ita ſenſim ferociam dedidicerunt, ita longiſſimâ difficillimarum rerum meditatione mobilem antea mentem infrę-nârunt: vt, & mores pronos, cereósq; induerint, & modorum omnium euaſerint capaciſſimi. Teſtetur id, non aliquis è numero minorum gentium, ſed ſapientiſſimus æquè, ac potentiſſimus Imperator Antoninus, cognomento philoſophus; quem perhibent, huiuſce diſciplinæ ſtudijs, ita ingenij ſui faſtum perdomuiſſe: vt, cum in quoslibet alterius Antonini, quem Pium appellârunt, mores, dexteritate mirâ, pertranſiſſet, penitúsque cum illius ingenio congrueret, Cæſaris animum adeò ſibi deuinxerit, vt in Imperium, ab illo adhuc viuente, fuerit cooptatus.

Ex hâc perdomiti ingenij quiete, aliud ingens beneficium à philoſophiâ, aulici, negotioſique homines percipiunt: diſciplinam inquam ac eruditionem, quâ

mens,

mens, alioqui mobilis, & volatica aſſueſcit in vnius rei meditatione, firmo gradu conſiſtere. Apage ab hominibus actioni rerum intentis, volucres illas mentes, quæ tamquam pilæ verſatiles, hac, illac celerrimè feruntur. Nunquam profectò in propoſitum ſignum collimabit, niſi qui, firmo gradu, ſagittam direxerit. Et quidem, quot nouimus adoleſcentes, qui in ſcholis difficillimarum quæſtionum meditationi, plures annos, non ſine plauſu, vacârunt. Hi deinde, mutatâ voluntate, cùm omnes ſyllogiſmorum regulas, totamque Ariſtotelis Analyticam ad quæſtum, augendámque rem domeſticam conuertiſſent, primas, vel in aulâ, vel etiam in mercaturâ partes occuparunt? Quot recenſere dicendo poſſemus, qui cum ſolertiſſimam mentis aciem, à philoſophiæ punctis, ad Arithmeticam, numerorum, ac diuitiarùm confectricem ſcientiam, retorſiſſent, articulos omnes conficiendæ pecuniæ ſtatim didicerunt? Aliud profectò iſti laborum ſuorum compendium retulerunt, ac alij, qui deſudârunt in addiſcendâ Platonicâ illâ per numeros philoſophandi ſcientia, quam diuinam nuncupauit, atq; à ſe inuentam Ioannes

Pi-

Picus, doctiſſimus ſuperioris ſeculi iuuenis; qui æquius ingeniorum Phœnix appellatus eſſet, ſi feliciorbus pennis, hoc eſt elegantiori ſtylo, altiſſimæ ſuæ mentis volatum explicâſſet.

At vero hæc philoſophiæ bona, ita aulicorum propria non ſunt, vt etiam in alios non redundent. Audio. Nec repugno. Quid vero illa? Nonne huic mortalium nationi ita accommodata ſunt, vt ad alios vix transferri poſſe videantur? Loquor de certiſſimis regulis à philoſophiâ præſcriptis, quibus à falſis vera diſcernuntur. Nulli ſcopuli ſunt, ad quos frequentius aulici impingant; nullæ Syrtes periculoſiores; nullæ Syrenes fallaciores, quam mendacia, quæ veritatis induta ſpecie, per ſummum ludibrium, oculis imponunt. Quoties aulicus, plaudentium aurâ verborum delatus, ſuper editiora dignitatum faſtigia præteruolare iam ſibi tutiſſimè perſuadet, qui mox, vulgo fabulam daturus, humi ſe iacentem videt, nullius ſubleuatum auxilio, imo, ne vllius quidem commiſeratione deploratum? Quoties aulica fortuna, ſuis fallacijs alludit, cum ingentes opes, honorésq; ſitientibus aulicorum labris, ſtatim retractura manum, admouet: vt innu-

innumeros ſemper Tantalos, in eo, vbi dominatur mari, derideat? Quoties cæco impetu, in ſummâ dignitatum faſtigia plerique feruntur, ibique præcipitinm inueniunt, vbi magnitudinis, ac potentiæ culmen ſperabant? Sola philoſophia eſt, quæ, in fallaciſſimo ambitionis Theatro, fictæ felicitati perſonam detrahit. Hæc apparentium ornatu veſtium non capitur, ſed lynceis oculis, in intima quæq; deſcendit. Ad huius aſpectum, vera rerum facies ſe prodit, perit diſſimulata. Hæc, ſolertiſſimo ſuo diuidendi omnia, definiendiq; genio, optimè nouit, verſipelles adulatorum fraudes, à candidis amicorum moribus diſcernere; meritisq;, non loco, vniuſcuiuſq; dignitatem æſtimare. Quo fit, vt Danieles, & Ioſephos, in imâ etiam obſcuritate ſepultos, ſupra quælibet Regum faſtigia ſuſpiciat. Mitto hanc vnam eſſe, quæ abſolutiſſimæ exquiſitiſſimæ aulæ ideam continenter præ oculis habet contemplandam. Etenim hæc rerum vniuerſitas, diuerſis inferiorum, ſuperiorúmque rerum gradibus conſtituitur; quouſque ad ſupremum omnium Moderatorem Deum, cui vni ſeruit, peruenerit. Prætereo adiumenta, quæ nõ vulgaria, ad gratiam dominantium cap-

ptan-

ptandam ſuppeditat. Cum enim motus, propenſionésq; animi, corporis temperamentum plerumq; ſequantur, ſanè à philoſophicâ eiuſdem corporis inſpectione, eruditus aulicus, cõſequendi fauoris viam ſibi facilem expedire poterit. Mitto opportunitates in Medicam artem promamantes, quæ tantæ ſunt, vt propterea mirandum ſit, recentiorem quendam, qui ſe Æſculapij germanũ profitetur, etiam libro docuiſſe, omnem Medicinæ partem optimè illum explere poſſe: qui ſolis experimentis, coniecturíſq; innixus, cæterùm, aut philoſophiæ, aut rationum, cauſarumq; apparatum à ſe penitus, abdicauerit. Et vos (doctiſſimi viri) cum hoc loco Medicinam cum philoſophiâ præclarè coniungatis, hoc genus hominum non damnabitis, qui in Medici nomen iure iniquiſſimo inuadunt? ergóne ſalutarem eruditionem, quam à doctis philoſophorum atramentis haurire deberent, à temere profuſo aliorum ſanguine elicient? Per alienam, Principum etiam, Regúmq; mortem, propriam artem ediſcent, quâ philoſophorum in Scholis, cauſas, principiáq; corporis naturalis ſedulò perſcrutantes, informari par erat? Solúmne, per mortuorum corpora crudele ferrum dirigent,

vt

vt errata propria corrigant? Quouſque poculis fortuitò immiſtis, dubiam vitæ, necíſque aleam propinabunt? Penetrandum eſſet, Philoſophiâ duce, ac magiſtrâ, in ægri hominis viſcera, vt conualeſceret; non poſt fugatam animam, immiti ferro corpus diſſecandum, vt eorum inſcitiæ conſuleretur.

Video me iuſto dolore abreptum à propoſitâ lineâ aliquatenus receſſiſſe. Iã ad inſtitutum reuertor, illúdq; in extremâ hâc prælectionis parte, requiri video: vt ijs, quæ initio philoſophiæ contemptores, glorioſâ, exultantíq; oratione propoſuerunt, reſpondeam. Aiebant Domitianum, omnes vniuerſim philoſophos ab Vrbe relegâſſe. Tædet me tam ſeueræ adnimaduerſionis cauſam afferre. Vos illam eſſe exiſtimate, quòd probroſis eius moribus, homines libertati aſſueti, adulari noluiſſent. Adulatus quidem eſt Euphrates neſcio quis, philoſophi nomine prorſus indignus, qui cum ſeueriſſimi decreti promulgationem audiſſet, ne Roma pelleretur, viuendi ratione mutatâ, Domitiano ſe conſcium ſcelerum adiunxit, ex philoſopho aſſentator factus, atque delator. Quis autem non deſpiciat ſtolidiſſimum ingenium huiuſce principis,

qui nullis alijs, niſi aut crapulæ, aut ſæuitiæ, aleæq; ſtudijs oblectatus eſt? Altero criminationis capite nihil cõmoueri debemus, cum ij, vel vitia, quibus homines nequam deflagrârunt, philoſophiæ, iniquiſſimo iure, adſcribant, vel clariſſimam diſciplinam ad ſordes, aut ad mercaturam deprimere velle videantur: tãquàm Pallas, quæ integerrima ſemper Virgo habita eſt, nullum iam inuenire deberet ſui amatorem, niſi illum, cui illa proſtitutæ integritatis ſuæ pretium polliceretur. Viliſſima enimuerò ingenia, quæ conceſſam mortalibus, Dei munere ſcientiam in abiectiſſimum mancipium ſic degenerare vellent, vt non niſi mercenariam, apud ſui ſtudioſos, operam collocaret. Comminiſcebantur alio loco nonnulli philoſophiæ cognitionem penitus eſſe contemnendam, quod effæminatos, deſidésq; adoleſcentium animos reddat. Quid autem apud integros rerum æſtimatores, reperiri poteſt abſurdius, quàm ab eâ diſciplinâ animos ad deſidiam prouocari, quæ inexplicabilibus difficultatibus, acerrimísq; contentionibus ſui ſectatores exercitos ſemper habet? quæ nobiliſſima ingenia, tanquam ſtrenuiſſima gladiatorum paria, in hâc mundi

vni-

vniuerſitate, ceu in ampliſſimo theatro committit?

Reſtat poſtrema ratio, eáque, vt opinantur, acerrima, quâ profligatâ, locum nō habebunt amplius, vbi conſiſtant. Dicunt inſpectricem philoſophiam ſuſpenſæ mentis homines reddere, ínque rebus etiam explicatiſſimis cunctabundos, ancipitésque; ex quo rerum actioni, negotiíſque minus apti iudicantur. Arbitror in hoc numero Platonem reponunt, cuius celeberrima illa vox fuit, tum demum feliciſſimos fore ciues, cum aut philoſophi regerent, aut Reges philoſopharentur. Arbitror Ariſtotelem illi loquuntur; quaſi vero cum omnia ſciret, rationem tamen gratiæ ac potentiæ conſequendæ, quibus ad ſummas opes in Philippi Macedonis Regiâ perueniret, prorſus ignorauerit. Arbitror eius quem laudaui diſcipulum afferunt, Magnum Alexandrum; tamquam à contemplatrice philoſophiâ, in quam, integro quinquennio, incubuit, mentis cunctationem contraxerit; neq; ideò in agendis rebus ſe præbuerit ſolertiſſimum; non in bellis conficiendis expeditiſſimum: non fulminis inſtar, omnia quæ præteruolauit armis aut deiecerit, aut celerrimè perſtrin-

xerit. Neque ſolùm, hæc adoleſcentis Alexandri ludicra fuit mora: non quorundam more, aut nihil, aut paucis philoſophatus eſt; ſed confirmatâ ætate; in medio victoriarum curſu, poſt ſummam rerum humanarum felicitatem, arduarum rerum notitiam ſic adamauit: vt cum Ariſtotele acriter conqueſtus fuerit, quòd Metaphyſica ſua vulgâſſet, aiens ſibi reliquum iam nihil eſſe, in quo cæteris mortalibus antecellere poſſet. Nihil ergo te Alexander, euerſum Perſidis regnum; nihil immenſa ſubiugatæ Aſiæ amplitudo; nihil omnia ad orientem ſolem occupata terrarum ſpatia, ſupra cæterorum hominum conditionem euehunt? Nihil, aut inexhauſti Aſiæ theſauri; aut immenſæ Darij Regis opes; aut admiranda tua in tot prælijs audacia, quæ tanta fuit, vt, vel bellicæ vittutis parens, vel martialis fortunæ Tyrannus appellareris? Ergóne, cum ab Oſtio Danubij ad Oceanum vſque Indicum, victricia arma explicueris; cum vltra notorum Siderum curſum, vltra cognita naturæ confinia, triumphator perueneris; cum vniuerſus terrarum orbis in tuo conſpectu tremebundus (vt Sacra teſtatur Hiſtoria) ſiluerit, cæteris tamen te parem duxiſti, niſi ſolus recon-

ditae

ditas Ariſtotelis Cõmentationes mente comprehenderes? Tu qui, magnanimitate inauditâ, integra amicis donare regna conſueuiſti, paucarum nunc auarus paginarum, à te ipſo tam repentè degeneras? Qui nunquam tutius, quàm apud eos, quibus largitus fueras, theſauros te reperire poſſe dicebas. Qui ſatis non exiſtimabas ad impertiendum id quod ſatis, ſupérque erat ad auariſſimi cuiuſque libidinem explendam: nunc alijs conceſſam exigui vnius libelli vſuram tam inuidiosè conquereris? Ita ſe res habet. Ingenio potiùs, quàm ferro, aut regno, cæteros ſuperare cupiebat Alexander. Scilicet hi ſunt Metaphyſici libri, in quibus DEO Duce, noſtra deſudabit induſtria. Neminem igitur, ſiue inter aulicos, ſiue inter negotioſos homines reperiri par eſt, contemptorem eorundem voluminum, quæ tanti fecit Rex maximus; vt cæteris ſe mortalibus præire, illorum potius intelligentiâ, quàm terrarum Orbis Imperio exiſtimauerit.

PRÆLECTIO II.

ARISTOTELI DETRAHENTES IN PHILOSOPHICIS QVANTI FACIENDI SINT.

HABITA

à

IACOBO ACCARISIO S. T. D. &c.

CVM ROMÆ IN ALMO SAPIENTIÆ GYMNASIO, METAPHYSICA ARISTOTELIS PVBlicè explicare inciperet. Anno 1638.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PRÆLECTIO.

QVI velit ingenio cedere rarus erit. (Cardinales Eminentiſſimi.) Ideo in admirationem rapiuntur quamplurimi quęrentes, quidnam ſit cauſæ, cur in doctrinarum comitijs, ac ſuperbiſſimâ philoſophandi contentione, innumeri mortalium Ariſtotelis ingenio ità obærati inueniantur, illiúſque ſpiritu ſic precariò contemplantes: vt eundem in vniuerſo, quantum eſt, philoſophiæ Regno principem libenter agnoſcant. Nullum, aiunt, rerum naturam edidiſſe, qui, vel ingenij pręſtantiâ varietatéque doctrinæ; vel celebritate gloriæ; vel multitudine Interpretum; vel Gymnaſiorum conſenſu, approbationéque Theologorum, multis partibus, cum Stagyritâ ſit conferendus. Quod tamen ſeruitutis iugum vt excutiant alij, & numero haud pauci, & ingenio minimè contemnendi, in partes factionéſque ſtrenuè diſcedunt: factâque inuicem conſpiratione, in vſurpatam, vt ipſi exiſtimant, philoſophiæ tyrannidem armantur.

In quos poſtremos hodiernâ die, aſ-

ſen-

ſentientibus vobis,æquiſſimis rerum æſtimatoribus, qualiſcumque tandem Ariſtotelis propugnator, inſurgam. Decet enim, vt communi Philoſophiæ Parenti gratiam aliquam, in hoc, Romano quidem, ſed tamen Peripatetico Gymnaſio rependamus. Quod expeditiùs vt præſtem, aio, primam Ariſtotelis inſectatorum claſſem eorum eſſe, qui eum arbitrantur, per obſcura quædam ænigmata, ſophiſtarúmque præſtigias, ſplendidam, ſolidámque philoſophandi rationem, ad inania,& ambigua neſcio quæ arcana trãſtuliſſe. Nihil certi, exploratíque, inquiunt, mortalium mentibus proponere, ſed ancipitem ac pendentem animi, inter vtramque ſententiam callidè ſæpiùs latentérque volitare; crebro, ſubtilitate indiſcretâ, oculorum etiam lynceorum aciem defugere; inſcitiam quandóque potiùs occultare, quàm non habere; aliorum verba philoſophorum ſequi, non ſenſum. Quod ſi inter conſuetæ caliginis ſuæ vmbras, cimmeriarúmque tenebrarum horrorem, aliqua fulgetra ſplendeant,quæ veritatis ſuſpicionem faciant, ſtatim ac micant,extingui. Omnino philoſophiæ negotium, callidum veteratorem, apud poſteritatem impoſturâ

captam tranſcegiſſe. Quo factum eſſe iterum, iterúmque inclamant, vt in maximam inuidiam contemptionémque philoſophi nomen, non ſolùm apud Ethnicos Autores, verum etiam apud Sanctiſſimos Chriſtianæ Religiones Patres aduexerit. Hinc illæ voces, ſeu potiùs Cæli effata Diuinis literis conſignata. Videte, ne quis per philoſophiam, & inanem fallaciam vos ſeducat. Hinc Platonis, Stoicorúmq; doctrinam peripateticæ, per integram ferè ſeculorum decadem, prælatam: tamquam ea docuerit, quæ veritati è Cælo delapſæ minùs repugnarent.

Verumtamen acerba hæc dicta, eductáſque nominatim è ſuperis machinas, quibus Ariſtotelici perterrefiunt: facilè amoueri, citra periculum video, ſi dicatur, priſcos, ſapientiſſimóſque Religionis noſtræ Antiſtites, non Ariſtoteli ipſi ſuccenſuiſſe, aut legitimam Peripateticorũ ſobolem traduxiſſe maledictis: ſed degenerem ſpuriámque ſophiſtarum turbam, qui ſub ipſis Chriſtianæ Religionis exordijs, ineptiſſimis ſophiſmatis Chriſippæíſque nodis importunè bacchabantur, ac ſimplicem, nouámq; Chriſti ſtirpem circumueniebant; in quos crabrones infenſiſſimos, calami aciem, vt configerent, augu-

auguſtiſſimi vetuſtatis Patres acnerunt. Niſi opportuniùs aſſerendum videatur, eoſdem primos Chriſtianæ Reipublicæ præceptores,ac duces,in Platonicos ideo, Stoicóſque ſtylum mitiùs, quam in Peripateticos direxiſſe; non quòd horum placita magis improbarent (ſtultam enim doctrinam omnem reputabant,quę Chriſto aduerſaretur, ac humanæ ſapientiæ verbis inflata, è cælo per lumen fidei non defluxiſſet)ſed ex eo,quia Academici veteres, Stoicíque, vitâ moribúſque à diſciplinæ Chriſtianæ ſeueritate,minùs quàm cæteri dſcrepare videbantur. Quandoquidem virum probum, etiamſi Phalaridis tauro cremaretur, non ſpe quidem, atque expectatione (vti rectè à Chriſtianâ religione definitur) ſed re ipſâ, beatum, omnibus abſolutiſſimæ beatitatis numeris, prædicabant. Quod quandam, ſaltem extimam ſpeciem, præſefert illius doctrinæ Cæleſtis;quia Diuina ſapientia, humano locuta ore, beatos eos pronunciauit, qui lugent, ærumnáſque ac labores in virtutis gratiam, æquo animo, patiuntur.

Neque video priſcos Patres tam acriter, ac aſſeritur, Platonis cauſam aduersùs Ariſtotelem ſuſcepiſſe. Quin potiùs

tiùs Platonem Arianorum fontem, Origenémque multorum Patrum Magiſtrum infelicem, ob multiplicata errata, quibus libros ſuos aſperſit, Platonicæ doctrinæ ſtudioſiſſimum appellatum video. Nimirum Plato, vt quidam aſſerunt, cum ſuperbo auſu, ſiue Diuini generationem Verbi, ſiue Mundi molitionem, ex Sacro Codice minimè percepto, quamplurimis infectam à ſe maculis, in Tymeum tranſtulerit, liquido oſtendit, quàm procul profanum à ſacris eſſe oporteat. Iniquum verò duxit Ariſtoteles, quem ſuæ humanitatis non pudebat, nec Diuinus eſſe affectabat, in Sacrarum litterarum Adyta, pedem, ne præceps ageretur, inferre. Igitur, intra humanæ Philoſophiæ ſepta, hoc eſt Lyceum, concludere quidquam noluit, quod humanis rationibus non euincere-tur. Quæ cum ita fuerint, humana eius philoſophandi ratio, nulla ferme Hæreticorum monſtra peperit, quorum vberrima ſeminaria, nimium quantum, vbique progerminant. Quamobrem, tum Hieronymus, ex omni antiquorum Patrum numero eximius; tum etiam (quod multò pluris faciendum eſt) tota deinceps Catholicorum Eccleſia, certiſſima norma veritatis, ſuffragante præſertim magno

Aqui-

Aquinate, qui Ariſtoteli liberaliter obſecundauit, eum tamquam de ſe optimè meritum iudicauit; propterea quod inſtrumentum ferè omne, feliciſſimo euentu Catholicorum Exedris ſuppeditauerit, quo Hæretici pariter Ethnicíque arguerentur.

Cuius rei validiſſimum accipite firmamentum, non à triuio, aut circumforaneo aliquo petitum, ſed ab ipſis veritatis Regulis, oraculíſque grauiſſimis Diuinitatis, Concilia loquor, nominatímque duo poſtrema, Florentinnm videlicet, ac Tridentinum. Videbitis, opinor, quanti Ariſtotelæam doctrinam, eiúſque methodum ac ſtructarum æſtimauerint, dum crebrò illius loquendi formas, ſummis in rebus vſurpant. Nunc enim genera cauſarum quatuor memorant. Nunc primariam cauſam, eámque, quæ inſtrumentum appellatur. Nunc quatuor elementorum, materíæque ac formæ fit mentio; aliáque id genus ſexcenta, quæ Ariſtotelem veriſſimè ſapiunt. Quid verò tantæ auctoritatis teſtimonio poteſt eſſe luculentius?

Quæ omnia dum attentius perlegerem, quærere venit in mentem, cur id tandem acciderit? illáque in promptu

cauſa

cauſa ſe ſe offerebat, quia Triumuiratus illæ ſapientiæ, id eſt tres illæ in orbe terrarum doctiſſimæ, ac florentiſſimæ ſcholæ: ea ſcilicet quæ magnum Thomam Aquinatem ſequitur Ducem; altera quæ acutiſſimo Scotum ingenio; ac demum illa cui Nominalium appellatio, impoſita eſt, admirandâ conſenſione, in philoſophicis, Ariſtoteli Magiſtro inſiſtunt.

Hoc loco Peripateticis infenſiores, quíque palàm à nobis diſſentinnt, ità reſpondent. Is enimuero ſcopulus eſt, ad quem Ariſtotelis propugnatores allidũtur. Hæ periculoſiores ſyrtes, in quas ſe ſe induunt. Ariſtoteles vniuerſas Catholicorum Academias contaminauit. Audio cuius potiſſimum hæ ſint voces. Putatote Transfugarum Anteſignani Lutheri, qui pluſquam cynicâ rabie Ariſtotelem ſic momordit, vt in ſuis vulgatis libris, non curtâ nomenclationum ſerie, appellet tenebrarum Principem, Hiſtrionem, qui græcâ laruâ Eccleſiam luſit, Tricorporem Gerionem; caliginem hominum, Proteum, Calumniatorem, Vaſtatorem piæ doctrinæ, Sycophantam, Logodædalum, Logomachum, Beſtiam, Diabolum; Vniuerſitates verò Academiáſque, in quibus Ariſtotelis doctrina

ſibi.. tri-

triumphat, Antichriſti veriſsima Lupanaria, Metaphyſicos, Logicósque ſummi Philoſophi libros, nugarum cænum, contentionem nihili, perdita huius ætatis ſtudia, turpiſsimam Doctorum virorum ignominiam. Imò alibi Eccleſiam Chriſti non poſſe reformari contendit, niſi funditus philoſophia, vt nunc habetur in ſcholis, eradicetur, aliáque ſtudia inſtituantur. Quæ ſtudia? Audite, rogo, eundem ita ſcribentem. Cupio, inquit, vt in locum Phyſicæ, ac Logicæ Ariſtotelis, quæ in ſcholis leguntur, ſubſtituatur Ouidius Metamorphoſiacus. Animaduertite portenta verborum à portento impietatis. Præclaros enimuerò Eccleſia emendatores haberet, Ouidium ſcilicet, ac Lutherum. Quorum alter nequiſsimis fabulis omnia inquinauit. Alter verò tantâ ſapientiâ pollet, vt ſingulis ferè paginis à ſe ipſo diſſentiens, pugnantia loquatur; tantâ morum probitate, vt nec diem vnum ſine adipali crapulâ; neque vnam noctem ſine pellice tranſigere potuerit. Sed, quid mirum hiſce verborũ formis Ariſtotelem nuncupatum, cum de magnis Religionis noſtræ Patribus hæc ſuperbiſsimo ſpiritu anhelet? Audite verba, à Lutheri voragine in Cælum inha-

halata. Primum, inquit, ſcire conteſtatóſque eſſe omnes volo, me prorſus nullius quamtumlibet Sancti Patris auctoritate cogi velle. Moderatæ enimuerò hæ voces ſunt eius, qui Rempublicam Chriſtianam ſuâ demiſſione reformare cupit. Verum, vnde abiuimus reuertamur. Facile enim eſt à propoſito declinare, dum cum errorum duce verſari cogimur, vt coarguamus. Neque enim ijs finibus audaciſſimi Deſertoris audacia continetur: vltra progreditur. Dialecticam Ariſtotelis (popinarius Cenſor) vocat meretriculam Diaboli, Pellicémque inferorum. Et continere quiſquam poterit iuſtiſſimum odium, dum lucubrationes illas, nobiliſſima naturę prodigia, ac leges, in quibus nominatim Ariſtoteles, quantum in cæteris alios, tantum ſeipſum ſuperauit, tam præfractè contemni audit? Tu ne, Luthere, præclaram illam artem, quâ admirandus Philoſophiæ Architectus ingenio alas aptauit, vt ſe ad editiſſima doctrinarum faſtigia erigeret, abiectiſſimũ cænum appellabis? Tu ingenioſiſſimum illud pulcherimę contemplationis inſtrumentum, cui poſteritas, quamuis inuentis addere facile ſit, nihil tamẽ inuenit quod adiungeret, fœdiſſimo ſenſuum manci-

ci-

cipio comparabis? Sed video, cur tantopere Ariſtotelis Dialectica tuo palato diſpliceat. Dirigunt intelligentiæ opera dialectici libri. Tu verò is es, qui toto cælo aberras, qui ſpiritu vertiginis agitaris; abijcis ergo fræna, quibus coercearis.

Sinite per humanitatem veſtram, me hoc loco perquirere, quodnam malum hoc ſit, quod ſcilicet noſtræ tempeſtatis Heretici, præſertim eorum Dux Lutherus, philoſophiam Lycæi reconditioréſque diſciplinas, quemadmodum à Scholaſticis traduntur, tot maledictis proſcindant: cúmque cauſam in promptu habeam, illam accipite. Verſipelles deſertores argumentationibus quibuſdam callidis, quæ fucatam probabilitatis præſeferunt ſpeciem, idiotis ſimplicibúſque imponunt. Ineruditam multitudinem decipiunt. Nihil ad principia deuoluunt; ſed ab interno ſpiritu, atro, an albo, adhuc ignorant, edoctos ſe magnificè venditant. Dialectica verò diſſertatio Theologiæ ſcholaſticæ immixta, verborum phaleras amputat, patentémque temeritatis campum in anguſtum cõtrahit. Lineas deſcribit, vltrà quas tranſilire nefas eſt. Ad metas circi Dialectici reuocat. Sacras litteras aptè ſuis argumentationi-

bus inſerit, quibus Hæreticis, vti loquitur ille, fuga ceruis à patribus datur, & patrius pauor incitat artus. Igitur ſi clament. Caueatis ab Ariſtotelis philoſophiâ, modicè vtendum Syllogiſmis: nónne calidiſſimos imitantur Philiſteos, qui ferrariam omnem artem Hebræis ademerunt, vt exarmatus Dei populus ad pugnam procedere non poſſet, nec ſi prouocaretur, reſpondere? Velint nolint, Scholaſticæ diſciplinæ & controuerſiæ illos diſcruciant. Etenim caſtigatâ redargutione, pugnantia eos loqui euincunt. Cothurnos detrahunt mentitæ Gigantum formæ, quâ cælum audaciâ petunt. In ijs fabricantur machinæ, quibus Babylones diruuntur. In ijs illa examinantur, quibus Antidoti Caluiniani peſtilentiſſimum virus proditur. Mentiar, niſi teſtem adhibere poſſem poſtremum hoc ſeculum, quod, cum nullum celebriorem Hæreſum Anteſignanum ediderit, enimuero ſcholaſticorum Theologiæ, Ariſtotelicæ Philoſophiæ inſertæ, acceptum referri poteſt: quæ ſi tantis vbique viribus, centum ab hinc annis, in Germaniâ inualuiſſet, non tot immaniſſimi turbines, ac procellæ ſeptentrionem inuoluiſſent.

Non enitar, primo hoc diſputatio-

nis meę capite, vltra hęc quę dixi: neq; de obſcuritatis tenebris Ariſtoteli obiectis plurimùm laborabo. Nam vel ipſe, prudens, voléńsque ſuis ſcriptis, ne omnibus denudarentur, eas offudit, vt Alexandro Magno Regi morem gereret: qui ſe populo æquatum ægre ferebat, cum Ariſtotelicæ myſteria Philoſophiæ omnibus vulgata conquereretur. Vel ab aureo ſuo eloquendi flumine, deditá operâ, abſtinuit, vt plumbea, tardáque ingenia á ſe remoueret. Quid ſi etiam, cum penitiora naturæ arcana ſcrutatus fuerit, atque in vltimas rerum cauſas deſcéderit, multa obſcurius eloqui neceſſe fuit? Quid ſi reſtitans, pendénsq; aliquando hæſit, cum ad res definiendas ſatis expeditum iter non haberet, ſiue ad diſtinguendas nullũ in natûrâ indicium? ſiue argumenta quæ contra opponebantur, ſatis amoliri nequiret? Quid vero tandem, ſi aliquid caliginis contraxit in tenebris, à quibus eũ humo defoſſum, eruit Sylla, multis partibus carię ac ſitu deformatum?

Vocat me potius altera claſſis eorum, de quibus initio dicendum propoſueram, Raimundos loquor, Teleſianos, Ramæos, Hermeticos, ac nominatim Paracelſum, quem non valde mirabimur A-

riſtoteli ſemper oblatrâſſe, cum ſcribat, ſe, etiam dum inter viuos ageret, ſæpiùs cum Auicennâ in faucibus Auerni altercatum: literáſque à Galeno, vt cum Peripateticis diſceptaret, ex ipſo Orco ſibi redditas. Verùm hos Philoſophiæ inquinatores mittamus, præſertim cum in ſcholis ij contemptu prætereantur: ſuíſque nouitatis portentis nihil aliud reportârint, quàm vt inter Antiquitatis veteramentarios ſutores reponerentur, ac inter damnati nominis auctores ab Eccleſiaſticâ Virgâ notarentur. Si tamen velitis, vt vnum ſaltem de multis eorum deliramentum indicem; Accipite. De melioribus dictis poſteritati inſtillauit Ariſtoteles, materiam, ac formam duas eſſe ſubſtantias, ex quibus tamquam principijs res conſtituerentur.

Apage has nugas, inquiunt recentiores hi noſtri Capitones. Nihil ſapuit Ariſtoteles, dum rerum principia decreuit. Omnia ſolis accidentibus conſtant. Nulla ſubſtantia vſquam eſt. O vos potius inſcitiæ ſimulacra! ſubiungam ipſe. Nonne dum hæc docetis, in manifeſtum vos illud erratum induitis, nullis ſatis expiandum pœnis: vt nimirum, ſi veſtram hanc doctrinam ad Diuiniſſimam Euchariſtiam refe-

ratis, pernegare cogamini, vini panísque ſubſtantiam in Chriſti Domini, intemeratum Corpus, Sanguinémque conuerti?

At verò complures, qui aduerſus Ariſtotelem ſe inimiciſſimæ factionis Principes confidenter ſtatuunt, in contrariam extremámque partem deflectunt: cunctáque prorſus accidentia rerum creatarum vniuerſitate funditus exterminant; erutásq; ex antiquitatis ſepulchris veterum ſententias, pro nouis extrudunt. Nempe ſpecillis, vti credo, oblongo tubo inſertis, omnia minutorum corporum conflata diſcernunt atque affirmant. Quidquid in terrâ, aut mari; quidquid in aëre viſitur, id paruis ſubſtantiæ partibus minutatim conciſis ac diuerſimodè inuicem conformatis coagmentatum; idem penitus eiuſdémque naturæ cum ſubſtantiâ omne accidens eſſe comminiſcuntur; & ex variâ aptâque paruorum corporum, ſiue traiectione, ſiue tranſmutatione, nunc aquam, nunc ignem, modò calorem, modò frigus, modò cætera, eâ ratione coaleſcere dicunt, quâ ex viginti ſupra quatuor litteris inuicem vario poſitu coeuntibus, vniuerſa varietas orationis exiſtit. Agite, per veſtram fidem Aud. Nonne,

qui ſic ratiocinantur, ipſi quoque auguſtiſſimi Sanctiſſimiq; Euchariſtiæ Sacramenti impugnatores, reputandi ſunt? Enimuero, ſi accidentia ſeparari à ſubſtantiâ nequeunt, quorſum grauiſſimum illud Tridentini Concilij oraculum veneraremur, ac tanquam veritatis cortinam exciperemus: quo ſancitur, in conuerſione panis viníque in diuiniſſimum Chriſti corpus, ac ſanguinem, panis viníque accidentia, factâ conſecratione, remanere? Nónne igitur permagnam paruorum corporum propugnatores, veritati iacturam inferunt? Perge. Extra Theologicas ratiocinationes, philoſophiæ momentis in iſtos quàm pauciſſimis ita agamus. Quid enim reſtat, ſi mordicus ſuam ſententiam tueri voluerint, niſi vt dicant, ſtirpes omnes ac lapides, elementáque ac animatia, imò & ipſum hominem ſolis minutis corporibus eſſe compoſitum: ac proinde (id quod eſt conſequens) ſpiritu eundem, hoc eſt animâ, quæ corporea non eſt, carere? Si verò hominem à communi hoc ſuo decreto excipiunt, id rectè quidem præſtabunt, ſed, cur cæteras animantes, ſolam corpuſculorũ congeriem ſtatuent? Si vero iniuſtè daremus, quod volunt: quidnam, rogo, iſthæc exigua corpora,

ſæpiúsque inuicem pugnantia, ac penitus contraria in officio copulata contineret, niſi aliqua inſit forma, quæ tanquam Rex, ac Imperator minutum, ac ſeditioſum populum moderetur? Quid verò, ſi leuiter immutentur, vti ſæpiſſime fieri conſtat experimento, ad priſtinam conditionem ſtatúmque reſtituet? Manere igitur hanc ſententiam non poſſe, inquiunt alij Ariſtoteli tamen infenſiſſimi. Qui minutiſſimis corporibus, aiunt, res omnes conſtituit, is arenâ ſine calce philoſophica commenta fabricatur, quid ergo mirum, ſi ad primæ argumentationis ictum corruant? Medullam itaque veri tandem, inquiunt, attinget, qui dixerit, creatas res omnes ſimplici conſtare ſubſtantiâ. Quicunque enim ſic diſſeret, ſubiungunt, ſcopulos euitabit, cum, & accidentia ſeparari à ſubſtantiá poſſe fateatur, & Ariſtotelem ſtrenuè repudiet, ex ſuperfluo duarum ſubſtantiarum complexu, materiá ſcilicet, ac formâ, omnia inquinantem; & Diuinæ Euchariſtiæ veritati nihil officiet, quòd panis viníque ſpecies remanere, peractâ conſecratione, ſanctè confiteatur.

Verumtamen non perſuadent iſti, ſed maxime hallucinantur, ſi exiſtiment

ſe Diuiniſſimis Chriſtiani Altaris myſte-rijs non aduerſari. Cur id tandem? quia, ſi vera eſſent eorum pronunciata, quid aliud ſequeretur, niſi, vt admiranda illa inauditáque panis, ac vini, in auguſtiſſimum Chriſti Domini, Corpus, ac Sanguinem conuerſio, vulgatiſſimum quid ac obſoletum redderetur? Nam ſingulis momentis, proprijs viribus, hæc prodigia natura ipſa, & tentaret, & exequeretur. Quid enim tritum inculcatúmque magis eſſet, quid, volenti æquè ac nolenti, frequentiùs obtruderetur: quid in medijs plateis, ac triuijs obuium magis eſſet, quam (vtar reuerendo illo vocabulo, quod quilibet debet approbare) tranſubſtantiatio? In ſingulis enim ea generationibus, in cuiuſlibet ortu, ac interitu vſu veniret. Hic ſimplicis ſubſtantiæ Patronis Ariſtotelem impugnantibus aqua hæret. Sed Philoſophica in eoſdem argumenta contorqueamus. Principio, nónne etiam hinc fieret, omnem generationem pro creatione veriſſimè acceptâ, habendam? Præterea nónne accidentia paſſim, & vbiq; de ſubiecto in ſubiectum, reclamante philoſophiâ, ſolis naturæ viribus tranſirent? Mitto hanc philoſophãdi rationem homini conuenire non poſſe,

qui,

qui, nullo, modo ſubſtantiâ ſimplici conſtat, ſed ſpiritali animâ, hoc eſt, formâ corporéque componitur. Mitto omnia vbiq; eiuſdem ſpeciei eſſe cenſenda. Præterео complures grauiſſimos viros mordicus aſſerere Tridentinum Concilium, dum totam panis ſubſtantiam nominauit, ſubſtantiale compoſitum ſignificare voluiſſe. Salutaris eſt igitur veritati Ariſtotelis ſuper rerum principijs philoſophia; iſtorum autem pernicioſa. Sexcenta expeditiſſima haberem his ſimilia, ſed aliò propero.

Nos enim extremo loco ad certamen prouocat tertia claſſis, & quidem formidoloſior. Hi Philoſophiam Ariſtotelis probant quidem, ac magnâ ex parte, deoſculantur. Verumtamen in ſummis rebus, quæ diuiniori Philoſophiæ repugnant, peccâſſe contendunt. Commemorant Ariſtotelem in controuerſiâ de Mundi origine illius æternitatem docuiſſe, aduerſante Moſæâ Geneſi: & quod inde ſequitur, Deum ter Optimum, ac Maximũ libertate non eſſe præditum, ſed omnia neceſſitate adactum moliri. Hic in aduerſariorum caſtris miles habetur inexpugnabilis; quo cum, vt manus conſeram, quærendum principio eſt, quidnam iſti re-

ſponderent: ſi ego in hâc concertatione oſtenderem, longiùs quàm Ariſtotelem à veritate receſſiſſe Platonem, qui mundum, definito quidem tempore, conditum ſenſit; verum conſtare voluit ex elementis, quæ confuſo quodam motu agitata ab omni æternitate fuiſſent? Quid vero agerent, ſi, extra omnem comparationem, in eam partem me darem, ac celeberrimo Theologorum Thomæ Aquinati inſiſterem, qui pronunciauit, Ariſtotelem, in æternitate mundi, nihil abſolutè ac certò definuiſſe: ſed tantummodo pendentem animi in vtramque partem diſputâſſe? Quid tandem ſi illum, apud quem præiudicata iam hæc eſſent, etiam atque etiam exorarem: vt quando plura in eo ad prodigium vſque nitent, vnâ maculâ non offendatur, quam ex humanæ imbecillitatis, cæleſti fide nondum ornatæ, conditione contraxit? Quod verò ſpectat ad Dei libertatem, cum nouum actum interne DEO rectè Ariſtoteles aduenire non poſſe intelligeret, ac ſatis explicare ſe non poſſet à validiſſimo argumentorũ Achille, in quo etiam expediendo præſtantiores Theologi, cæleſti quamuis adiuti fide, plenum opus aleæ experiuntur: quis mirabitur, ſi ipſe, qui lumen cæleſtis

fidei

fidei non acceperat, ancipitem ſe tenuerit, vel alicui viſus ſit lapſus, dum in horrendâ crepidine verſaretur? Vultis quàm pauciſſimis huiuſce vini argumentationis exoluam? Facio. Si libera voluntas mundi recens moliendi, perfectio intima eſt, quæ intrinſecus ipſi ineſt Deo: quomodo ſeiungi ab illâ ipſe poterit, quin à ſeipſo deficiat, ac deſtrahatur? Contrâ verò, ſi carere illâ non poteſt, quid ſequitur aliud, niſi vt neceſſaria inſit Diuinitati, ac proinde minime libera cenſeatur? Neq; enim Diuinitas alia atque alia, à ſe ipſâ poteſt in horas diſcrepare. Hoc inexplicabilis argumenti pondere preſſi in Catholicis Exedris validiores Theologiæ Atlantes, adeò laborant: vt nullum finem faciant docta atramenta exſudandi ſcribendo. Adde, quendam mediocriter curioſum, iam in ſcholis, triginta ſupra ſeptem huius difficultatis enodationes, præciſas tamen, neque conficientes, à ſapientiſſimis doctoribus excogitatas recenſere.

Quæ cum ita ſe habeant, quis mirabitur, noſtrum Alcidem in biuio cunctabundum hæſiſſe? Quæ cauſa itidem fuit, cur oppido pauca, de prouidentiâ Diuinâ, quâ vniuerſa pariter, & ſingula guber-

bernantur, Acroamaticis ſuis libris interſeruerit. Supereſt, ad extremum, celeberrima controuerſia de immortalitate animæ, in cuius æternitate defendendâ, cum Ariſtoteles, tum Plato laborant. Et licet clariùs is quem poſtremo loco nominaui, rem exponat, fabulis tamen Philoſopho indignis, vt complures opinantur, omnia commaculat: dum ex alijs in alia, etiam belluarum corpora humanos immigrare animos comminiſcitur.

Si verò quandoque reſtitans, hæréнſque appareat Ariſtoteles, id tribuendum eſt, non propriæ ſententiæ decreto: ſed illius argumenti tormento, quo altiùs quotidie diſcruciabatur, cum à ſeipſo perquireret: cur, per omnem æternitatem, hominis animus à corpore ſeparatus, hoc eſt pars extra ſuum totum, philoſophia repugnante æuo ſempiterno exularet? Neque enim, per fidem, cælitus ei innotuerat mortuorum futura Anaſtaſis, quâ rediuiuum humanum genus, Regi cui omnia viuunt, olim repræſentabitur. Cæterum, quis Ariſtoteli iure ſuccenſeat, ac non potiùs eidem gratias referat, quod, ſubtiliſſimâ inueſtigatione, humanam Animam materiæ quidem formam adiunxit, verumtamen humanarum actionum

à ma-

à materiâ minimè pendentium veluti charactere,internoſcit à cæteris omnium brutorum animis: per ſummam laudem, ad quam nullus antea philoſophorum attigerat. Neque vnam omnium hominum animam eſſe cenſuit, in quod opinionis portentum Auerroes, vti perhibent, incurrit. Itaque cætera in compendium tranſmittam, vt Galaxiam perperam explicatam, hominis beatitatem, non bene ab Ariſtotele, vt quibuſdam videtur, definitam, ac nonnulla alia, quæ primæ notæ ſapientes habent patrocinatores. Orationem, igitur in vltimam vertam partem. Etenim cum Ariſtotelis doctrina ſolido veritatis ſulcimento ſuſtentetur, ac vtilia docendo ancillarem operam caſtiſſimæ Religioni, Adiaphoris, hoc eſt hæreticis repudiatis, præſtet; cùm miro ordine ac Methodo philoſophici opificij ſtructuram,omnium oculis repræſentet; cum diſcrepantium veterum philoſophorum Chaos, rudem ſcilicet indigeſtámque molem, ac diſcordes ac non bene iunctas ſententias digeſſerit, ac poſteritati propoſuerit; ſi per certa principia, & euidentes ratiocinationes, tanquam per vias ampliſſimas, ad veritatis Regiam ſapientiæ ſtudioſos perduxit; par eſt, ne di-

diuertentes à Regijs hiſce itineribus, quæramus diuerticula: id eſt Epicurum aliquem, aut Pythagoram, aut Academiam veterem, quæ omnia Catholica Religio exterminauit. Par eſt, vt relictis paucis circumforaneis hominibus, factis ad genium vulgi: ſuffragium potiùs plebis in priuatis ſermonibus, quàm in luce conſpectúque Academiarũ veritatem querentibus, Ariſtotelem ſequamur Ducem, quem ſcholarum ac ſeculorum omnium teſtimonia comprobârunt: id tamen cum animis noſtris, etiam atque etiam reputantes, nos Petri Cathedræ non ſolum Stoicorum Porticum, ſed etiam Ariſtoſtotelis Lyceum poſt habere.

PRÆLECTIO III.

HABITA

à

JACOBO ACCARISIO

S. T. D. &c.

Sexto Decimo Kalendas Decembris Anno M. DC. XXXV.

QVO DIE IN PVBLICO ROMÆ GYMNASIO, INGRESSVS EST EXPLICARE,

Quartum Ariſtotelis, de Animalium Generatione Librum.

EX QVO ARGVMENTA DEDVCIT, QVIBVS GENETHLIACORVM, IN ORtu hominis, diuinationes, vanitatis arguuntur.

PRÆLECTIO

OPportunè accidit (Cardinales Eminentiſſimi) vt Ariſtotelis libri de Animalium generatione mihi eſſent explicandi. Nam perſequar litterario etiam hoc anno idem inſtitutum, quod menſibus elapſis vrgere cæpi: cum demonſtrarem à philoſophiâ contemplatrice plurimum vtilitatis in Reſpublicas, vniuerſámque actionem ciuilem promanare. Hoc adeò verum eſſe conſtituet, quicunque ſecum animo reputabit certiſſima damna, quæ principum aulis, ciuiúmque tranquillitati, ab eo hominum genere inferuntur: qui in mortalium ortu diſpiciendo, fictas incertáſque potius effectorum cauſas, è cœlo petere volunt cum Ptolemæo cæteráq; Genethliacorum natione, quàm phyſicas in terris veráſq; cum Ariſtotele, ac Peripateticorum ſcholâ contemplari.

Scilicet Diuinatores illi veræ philoſophiæ aduerſarij, mirum quantum ſui conuerſione Aſtrolabij, terrarum orbem quandóque perturbârunt. Etenim, dum cælum commentitijs Leonum Taurorúmque imaginibus armant, inferiorem hanc

mundi

mundi partem veriſſimis terroribus complent. Dum planetarum neſcio quæ domicilia, ſolido nullo ſubnixa fundamento, inter aſtra collocant: non ſolùm priuatas ciuium domos, ſed publicas principum Regias, Dominatorúmque Ædes funditus euertunt. Dum ludicras natalium ſtellarum coniunctiones, diſſidia, obſidiones, virulentos aſpectus, conſpirationes, ac ſolia confingunt: deplorandas interea ſeditiones in hominum rempublicam, certiſſimas diſcordias, vrbium obſidia, imperiorum cōmutationes, pietatiſq; contemptum inducunt. Vt profectò mirandum ſit Aſtrologorum nonnullos, cum ſatìs habuiſſent ſuarum venditione diuinationum, aliquam aureorum vim è conſulentium loculis excutere, Sceptra tamen Coronáſque de imperantium capitibus, nonnunquam deieciſſe; id quod Galba expertus eſt, quem Otto, vrgentibus Mathematicis, regno ſpoliauit.

Verumtamen conſilium mihi non eſt, in huiuſce breuiſſimi temporis anguſtias ea argumenta compellere, quæ pleniſſimis in Aſtrologos voluminibus doctiſſimi Viri explicârunt, in quorum diſertiſſimis lucubrationibus illud vnum deſiderari poſſe videtur: ne ſcilicet inualidas in-

certáſque rationes, exploratiſſimis, ac vndequaq; conficientibus immiſcerent, inque illas acriter, niſúque toto manus inijcerent, his modicè, leuitérque tactis; vt ſanè ancipites fuiſſe videantur in deligendis adhibendíſque validioribus machinis, quibus quaterent Planetariorum Arces, vt ad deditionem compellerent. Multò autem laboris minus in eo inſumendum mihi eſſe arbitror: vt in medium producam, aut certiſſima ſacrarum paginarum Oracula, aut Sanctorum Religionis noſtræ Antiſtitum decreta, ſummorúmque Pontificum leges, aut grauiſſimas Conciliorum Sanctiones, quibus, tanquam contortis è cælo fulminibus, Gigantes illi ſiderum inuaſores percelluntur. Sed curæ tantummodo mihi erit illa exequi arguméta, quę aduerſùs Genethliacam, philoſophia ſuppeditat, eáque nominatim ex Ariſtotelis libris: quos ad interpretandum aggredimur, excerpere.

Age ducat nobis exordium Quartus de Generatione Animalium liber, vbi Philoſophorum maximus ita diſſerit: vt demonſtret, nunquam in aſpectabili hâc rerum vniuerſitate ſecuturum effectum aliquem, neque euenturum præcognoſci poſſe, ſi ex pluribus cauſis, quibus ad il-

lum

lum gignendum opus eſt, vel plures, vel vna etiam dumtaxat, aut deſit, aut non præcognoſcatur. Quod ſi quis ſecùs exiſtimet, mentis turbatæ reus iure meritò pronuncietur. Iam verò cum Planetarijs perpetuum ſit, ex vnâ tantum, eâque incertiſſimâ causâ (quippe quæ, vel penitus nugatoria eſt, vt à compluribus exiſtimatur: vel, vt omnes fatentur, obſcuriſſima penitúſque anceps: cum ex remotiſſimis cæli domibus, tamquam abſtruſiſſimis adytis eruenda ſit) cæteris omnibus, quæ cum re proximæ, & coniunctæ ſunt penitus ignoratis, coniectare & vaticinari: quid ſequitur, niſi vt Genethliaci, cum in futuris euentuum præſagitionibus cœlo tantum inhæreant, à recto ratiocinationis tramite exorbitent?

Atque id profectò, quod in argumentatione primum obtinet locum, ita eſt exploratum Planetarijs, vt parati ſint illud, ceu veriſſimum complecti. Qui propterea glorioſè, licet falsò, docent, Aſtra principes eſſe cauſas, infima vero omnia tamquam inſtruméta, aut viliſſima ſeruitia exiſtimanda eſſe: quæ nihil, niſi ad imperantis cæli nutũ, renutúmq; moliantur. Quæ potiſſima ratio eſt, vt demum temere concludant, ſe dum vaticinantur, non

è cælo ſolùm, ſed ex alijs itidem cauſis capere coniecturas. Egregij, ſi Deo placet, Vaticinatores, qui ex bullatâ ſuâ commentitiorum monſtrorum imaginibus cortinâ, aut ex natalitijs Triangulorum lateribus, tamquam ex Apollinis Tripode, illam ſe deducere iactant præſenſionem cauſarum omnium: quas hominum nullus, imò ne vlla quidem Beatarum Mentium præuidere, nedum ad calculos poteſt reuocare. Vt propterea Sacrarum auctoritate litterarum grauiſſimè ſanciatur, futura hominum euenta Dæmones ipſos prænoſcere non poſſe: qui tamen ſideream omnem notitiam plùs multo callent, quam aut Ptolomæus Aſtrologorum Princeps, aut quicunque tandem ex Senatu Populóque Genethliacorum cenſeatur.

Ac, vt de cæteris nunc ſileam, quas proferendas infra ſepono: an aut omnes, aut pleraſque eorum effectorum cauſas, quæ à liberis hominum appetitionibus manant, poterunt Aſtrologi cogitatione, quamuis ſolertiſſimâ, anticipare? An fortaſſe humanæ Libertatis imperium, quod omnes ætates nationéſque ac doctrinæ, ſemper agnouerunt inuictum, ſoli Planetarij aut ſuorum Schematum angu-

lis

his conſtringent? aut ductis affabre quibuſdam lineis irretient? An ſoluta illa in vtramque partem agendi poteſtas, ficta Leonum, Taurorúmque ludibria, pertimeſcet: quæ ſeueriſſima Principum ſceptra, veros dominantium faſces, nudatos gladios, minitantes ſecures, armatúmque ſatellitium ſępenumero contumax aſpernatur? Cuiuſpiam igitur Iouis, aut Saturni fabuloſum verebitur aſpectum, quæ ſummi rerum omnium Conditoris Moderatíſque Dei, legibus obſtinata refragatur? Ergóne cruentum neſcio cuius Meduſæ caput, aut Saturni falcem, vel Sagittarij, Orioníſque imbellia formidabit arma, quæ aduerſus irati cæli fulmina ſuperbiſſimum caput obdurat? An, quæ ab indito naturæ lumine ſeſe auertit, lucem aſtrorum prona ſequetur? Quæ ſemper in vetitum auidiſſimè fertur, ad normam ſiderum in Aſtrologi pugno concluſorum, ſe componet? Quin potiùs, ne ad illorum imperium viuere videatur, in diuerſa protinus tranſiliet. Et cuius vmquam Horoſcopi tanta lux erit, quæ humani arbitrij inacceſſa penetralia abditóſque receſſus peruadere poſſit? Cœlum quantumlibet rimetur Aſtrologus, circinum in tabulâ ſcitiſſimè ducat: voluet ſe Li-

bertas, ac reuoluet, quò nunquam fuerit prænunciatum. Omnem ſtellarum ductú auerſabitur. Si cæli faces illam in ſiniſtrum latus inclinaturam prædicant: repentè in dexterum emicabit. Si aulæ negotia, ſtrepitúmque polliceantur: in ſolitudinem ſe conijciet. Si connubia: cælibatum. Si bellum & caſtra: libros, Scholásque amplectetur. Si in obſcuriſſimis, & pluſquam Cimmerijs tenebris deliteſcit: mox proſiliet in lucem, veriſſimúsque Proteus in tot ſe formas celeritate mirabili transferet: vt omnium oculis, præterquam vnius cuncta prænoſcentis DEI, facillimè imponat.

Et quiſquam erit adeò confidens aſtrorum explorator, qui Dignitates, Imperia, Honores, Connubia, Victorias, bellorúmque exitus: quæ omnia, non ab vnius tantùm, ſed, quod multo pluris æſtimandum eſt, ex complurium electione hominum proficiſcuntur: vaticinari ſe poſſe glorietur? An in cuiuſpiam ortu natalia omnium ſchemata obſeruabit? Fac victoriam duci de cælo præſignificatam: an bellatorum omnium, ne vno quidem omiſſo, qui liberè conſtantérque præliaturi ſunt, geneſim introſpiciet?

Audio quid pro ſe Vaticinatores iſti

re-

reſpondeant. Video Aſylum, in quod ſubitâ ſe fugâ proripiunt. Nihil ſe certò aiunt de hominum euentis, proſperâ, vel aduerſâ fortunâ, vitâ, vel nece prænunciare: ſed probabiles tantùm, veriſimiléſq; afferre præſagitiones. Ita dominatum natalibus ſtellis impertiri, vt ideo libertatis imperium non adimant homini, aut in fati neceſſitatem compellant. Imò, ne intentatis ictibus deinceps pateant, validiſſimum eiuſmodi, circa ſe ſtatuunt argumenti munimentum. Humani corporis temperationem ab aſtris hauriri, eâ ratione, quâ Genethliaci docent, qui diſſerit: veriſimilia loquitur, nullíſque obnoxius eſſe debet Philoſophorum maledictis: quandoquidem ipſum Ariſtotelem habeat ſuffragatorem. Atqui mores animi, corporis conſtitutioni plerúmque, vti experimento palàm eſt, conformantur. Quid igitur reſtat, niſi vt Genethliaci, qui aſtrorum ductu mores animi, à quibus imperia, magiſtratus, amicitiæ, coniugia, mercimonium, honores hauriuntur, pronunciant, veriſimilia promant?

Verùm ſideralis hæc ſcientia, intra iſtius argumenti ſepta nihilo magis ſecura deliteſcit. Rogas quam ob cauſam? Quia ſi probabilia tantummodo ſectari

ſe aiunt Aſtrologi : cur in ſuis vaticinijs profitétur diſciplinam? Cur ijſdé nituntur obſeruationum præceptionibus, quibus Planetarij veteres, Ægyptij, Chaldæíque, Fati neceſſitatem aſſerentes, vtebantur? Cur ſi quiſpiam Ianuario menſe, concretum gelu flumen ingrediatur, ſudaturum nihilominus præ calore dicunt: vt Petro Caſtellæ Regi placidiorem fortunam operienti, celeberrimi eius tempeſtatis Genethliaci perſuadere nitebantur: dummodo à natalibus illius Aſtris, quorum decreta violare nefas eſt, id fuerit conſtitutum?

Reſiſtamus hic, oro, tantiſper, vt accuratè perpendatur, an hoc veriſimilitudinis vallo ſe tueri poſſint Aduerſarij. Eſto Catholicorum philoſophorum vnus, vel alter, hoc illis tenuiſſimæ coniecturæ perfugium conceſſerit. Quid ſi deinde à Sixto hui' nominis Quinto Pontifice, denudati fuerunt luculento Diplomate: quod poſtmodum Vrbanus VIII. Sanctiſſimus Pontifex, confirmauit? Accipite, ſi libet, quid decernat is, quem priori loco nominaui Chriſtianæ Reipublicæ ſumus Antiſtes: Statuimus, inquit, vt ſeuerè animaduertatur in illos, qui ex aſtris de actionibus ex humanâ voluntate penden-

ti-

tibus aliquid euenturum vaticinari audent: etiam ſi id ſe non certò affirmare aſſerant, aut proteſtentur. Videtis extremis Sixti verbis, probabilitatis clipeo Aſtrologos exui.

Hic inſurgit, qui dicat me à propoſitâ orationis ſemitâ aberrâſſe, dum Pontificiarum legum armis vtor: qui ſpem victoriæ omnem, in ſolo philoſophiæ inſtrumento collocaueram. Quaſi verò in ſuis Sanctionibus ſapientiſſimi legum latores quidquam affirment, quod veritati philoſophorum, id eſt indito naturæ lumini, aduerſetur. Sed quid pluribus opus eſt? Phyſicis rationibus rem, vt placet, conficiamus. Equidem nego ſtrenuè, mecúmque ratio ipſa pernegat, natiuam corporis temperiem ex Genethliacorum Domibus, aut blando, toruóque aſpectu, vllâ probabili coniecturâ, promanare. Nego in ſolo cæli aſpectu Ariſtotelem hæſiſſe, aut in tot ſuis voluminibus ſiderum opem imploraſſe, vt corporis conſtitutio, vllo modo, efformaretur: ſed aſfirmatè pronuncio, omnia, partim materiæ, partim vi effectrici, proximiſque rationibus accepta retuliſſe. Ecquando Planetarum domicilia, eorúmque penetrales Aedes Ariſtoteles, vt reſponſa pe-

teret, adiuit? Vbi ſtellas diſcriminatim alias fœminas, alias verò mares confinxit? Vbi illas diſſeruit, tamquam Cameleontes, colorem, viréſque multiplices induere, pro Domorum, in quibus commorarentur, diuerſitate? An mutos naſcituros illos homines docuit, qui (vt perperam philoſophatur Cardanus) dum oriuntur, planetas in piſcibus degentes, ſortiuntur? Alias, credo ſtellas, fari poſſe arbitrantur Coniectores; aut Ariſtotelem affirmabunt, aliquâ ſui parte, ſub elingui piſciû aſtro natum: qui cùm omnes diſciplinas vberrimè ampliſſimo ſuo explicuiſſet ingenio, ſolam Genethliacam deſpicatui duxit, altiſſimóque ſilentio præterijt.

At videte, quam non illiberaliter cum hiſce Aſtrorum ventilatoribus me geram. Non agam cum iiſdem ſummo philoſophorum iure. Dabo etiam id vltro, quod neutiquam tribuendum eſſet. Natalitia aſtra, ſi placet, vnam inter cauſas, quæ fœtum conformant, probabili coniecturâ, numerent, Quid tum? an deinde cæteras omnes rationes, à quibus cuiuslibet conſtitutio corporis conflatur, ſimiliter prænoſcunt? Num in Horoſcopo naſcituri hominis, cuiúſnam lacte nutricis ſit alendus? num, aut ſalubrem, aut mali-

gnum

gnum aeris ſpiritum, quem hauſturus eſt? Num vitiorum, ſcelerúmque potentiam, quorum ſe tyrannidi fortaſſe mancipabit? Quæ omnia plus aliquanto exerunt virium, quàm aſtra, ad immutandam, aut etiam diſſoluendam cuiuslibet validiſſimi corporis temperationem. Demum dicant, obſecro: an rimentur etiam è cælo natiuam Patris conſtitutionem, à quo, nõ ſolum fętus dimanat, ſed præcipua illius pars cenſenda eſt? Si affirment, vti omnino neceſſe eſt: tum ego ſubiungam. Cum igitur Parentis conſtitutio à natiuis propriíſque aſtris eruenda ſit: natale quoque thema eiuſdem nominatim, à perito Aſtrologo inſpiciendum erit. Id autem ſi præſtandum eſt in Parentis conſtitutione dignoſcendâ: cur non etiam in Auo, Atauóque, maioribúſque omnibus, qui à proprijs ſtellis propriam corporis temperiem hauſerunt? Itaque, vt de vno fœtu iudicetur, tranſeundum erit per infinitam ſucceſſionum ſeriem: erúntque geneſes omnes, ad vſq; Adami tempora repetendæ. Videtis, opinor, quam ruinoſa ſit prima argumentationis fabrica, quam circum ſe excitârunt Aſtrologi: cum docerent, corporis temperiem à natalibus aſtris expromi, ínque omnem vultum, &

colorem ab ijſdem probabiliter duci. Vidiſtis leuiſſimo negationis tactu, aut concidentem, aut certè nutantem.

Nunc ad oppugnandam alteram ratiocinationis partem, aggrediamur, grauiſſimíſque rationum ponderibus euincamus, neque pro comperto habendum eſſe: mores animi, corporis temperamento, veriſimili præſagitione, conformari. Et quouſque Aſtrologi, nimio ſiderum aſpectui intenti, ad hoc ſaxum imprudentes offendent? Nondum ſatis intelligunt, id verè à Philoſophis Medicíſque pronunciari, cùm nihil quod obſtet, interueniat? Verumtamen, ſingulis fere temporis punctis, quot accidere ſolent quę interſiſtunt? Igitur conſtituant ſibi, corporis naturæ, quandam ineſſe vim, ad animum pelliciendum. Quid ſi eandem vim alia, & multitudine plura, & poteſtate validiora in diuerſa detorqueant? Quid ſi à dominatu mentis in corpus, magnopere tollatur? Mendacij arguar, niſi quandóque caſus, fortunæque inexpectati occurſus, natiuis propenſionibus vehementiſſimè obluctãtur. Quoties externorum, aut copiâ, aut difficultate bonorum, inditæ à natura propenſiones eliminantur? Vos appello, inuictos olim terrarum Orbis domitores

Ro-

Romanos: qui Aſiâ deuictâ, illius delicijs ita ſuccubuiſtis, vt ingenitas propenſiones veſtras, ad bellorum terrores victoriarúmque laureas, non ſiderum aſpectus, ſed blandimenta vitiorum infregerint. Quid vero de publicâ Principum auctoritate loquar, quæ gladijs ſecuribúſque armata; propendentis in vitia immaniſſimi etiam cuiuſcúnque hominis impetum coercet? Quid de vehementiſſimis conſcientiæ vocibus, quæ corporeas cupiditates continenter obiurgant? Quoties amicorum, aut conſanguineorum gratiâ, opes profundimus, caput periculis obiectamus, innumerabiléſque moleſtias libenter ſubimus? Quoties periclitantis patriæ charitas eò deducit: vt priuatæ rationes, publicæ ſaluti poſthabeantur? vitáque ipſa, quâ nihil eſt cariùs, libentiſſimè Reipublicæ repræſentetur? Silebitúrne immenſa honorum appetentia, quæ acutiſſimum ambitionis calcar eſt, ad inflectendas inuertendáſq; naturę, quamuis reluctantis, procliuitates? Quippe, quot in aulis ex auariſſimis prodigos, ex immaniſſimis blandos, ex ſuperciliosis modeſtos, ex obtrectatoribus repentè fieri videmus adulatores? Contra verò excelſa dignitatum faſtigia, quoties pro mo-

de-

deſtis turgidos, pro mitibus truces reddunt, corporéque ac animo ad inſolentiam ità compoſitos: vt, qui antea omnibus ſubijciebantur, deinde, velut à Iulio Cæſare originem traherent, vel in familiæ ſuæ faſtis, non niſi Auguſtos numerarent: cæteros, quos antea ſuſpiciebant, deſpicatui ducant? Hæccine igitur tot ac tantis ambagibus recondita, Coniectores, licet ſe certiſſimam Ptolomæi venditent ſobolem, euoluent? Quamquam ſi ita eſt, vt diſſerunt: ſi ijs rationum momentis, quæ hucúſque attulimus è veſtigio non cadunt: doceant, rogo, quid cauſæ ſit, cur tantopere illius arguméti iactu, quod quamuis vulgare ſit, mirificè tamen Genethliacorum optimates, ac principes torquet, commoueantur? Quærendum inquam exiſtimo: cur ij, qui eodem temporis puncto, eâdémque in Vrbe oriuntur, diſſimiles naturas, caſúſque conſequantur? Cur gemini fratres, quibus vna cæli conformatio naſcentibus affulſit: ingenia tamen, mores, vitæque ac necis diſſimillimam penitùs rationem ſortiantur? Neque labantem cauſam ſuſtinent ſatis, cum diſputant, numquam Geminos ſub eodem cæli aſpectu, in lucem exponi: propterea quod inter vtrorúmque ortus, aliqua ſem-

per

per mora temporis intercurrat: quę, quòd cælum citatiſſimo curſu voluatur, inſignem aſtrorum varietatem inducit. Nam quærò itidem: cur ſi tranſuolantis temporis breuiſſimus lapſus, tantas cælo infert varietates, prædicere ſe mortalibus quidquam certò confidant: cum tentabundi incedant ſemper in hominis ortu diſpiciendo, nec vnquam in illius punctum colliment? Teſtes appello celebriores noſtræ tempeſtatis mathematicos. Hi ſcilicet in eâ re, quæ certiſſimè prænoſci poteſt, (loquor de lunæ defectu, qui hoc anno in Quintum kal. Septembris incidit) horâ ferè integrâ aberrant. Contrà verò quærendum arbitror, cur q; diſſimillimis nati ſunt aſtris: idem inſtitutum vitæ ſectentur, eodem quandóque naufragio mergantur, in eâdem pugnâ cadant?

An Veſuuiano incendio, proximis annis ſimul exuſtos: vel in ijs prælijs pariter occiſos, quæ ſingulis fere hebdomadis, folia nouarum rerum nuncia, non ſine lacrimis, implent: quamuis ætate diſpares, regionibus diuerſos, ortu diſcrepantes, eundem horoſcopum ſortitos fuiſſe dicemus? Neque communes Aſtrorum (vt recentiores Planetarij vocant) Reuolutiones, proprijs ſingulorum geni-

turis

turis refragari debent. Alioquin nullius nominatim hominis, ortum inſpiciendum genethliacorum optimates cenſerent: ſi ab annuis generalibúsque ſiderum conuerſionibus, tranſuerſus ageretur.

Spectâſtis hucúsque, me in Aſtrologos eminus certantem, auxiliaribúsque copijs ab Ariſtot. verâque philoſophiâ petitis, hoſtes laceſſentem; ſiue cenſeant Aſtra veras humanorum euentuum cauſas: ſiue indices notas, certáque ſigna, aduerſus quæ pari impetu argumenta huc vſque prolata, feruntur. Reſtat nunc, vt duce eodem Philoſophiæ Magiſtro, arma in nos intentata, in ipſorum caput retorqueamus.

Igitur libro de Animalium generatione quarto, à nemine præcognoſci poſſe tempus, ait Ariſtoteles, quo fœtus matris in ſinu concipiatur: id, quod Ptolemæus ipſe diſertiſſimè bis, térue pronunciauit. Verùm ex hâc conceptus horâ, corporis animíque vniuerſa conſtitutio, quæ à ſiderum virtute afflari poteſt, non autem à puerperij ſtellis, in fętum deſcendit: quod magnus Aſtrologiæ parens Ptolemæus, non ſolùm annuit, ſed pro exploratiſſimo ponit. Quid igitur eſt reliquum, niſi vt à nemine temperatio cor-

po-

peris, aut animi propenſio, diuinatione licet probabili poſſit deprehendi.

Et ſanè, ſi punctim, ſeueréque tranſigere concertationem, rémque ſubtilius redarguere velimus: quid abſurdius, aut à philoſophorum grauitate magis alienũ excogitari poteſt, quàm ex hominis partu vniuerſa eius fata definire? Ecquid enim aliud eſt is, qui tanti fit in lucem tranſitus, niſi ex vno in alterum loco migratio: quâ videlicet è ſinu parentis in brachia nutricis, puer emergit? Et cenſendum eſt, tot ac tanta, ſuper leuiſſimâ hâc commotione, obſtetricantes aſtrorum cætus moliri? Cur quæſo, cum ex vno in aliud conclaue curſitat: cæli flammæ, ſimilia non portendunt? Equidem me continere non poſſum, quin exclamem (præſertim, cum hoc argumentationis iaculum, à ſcriptorum nemine, quod ſciam, viderim intortum) quorſum tot ſiderum conſiſtoria, tot conſultationes, congreſſionéſque coguntur? cur ſudant, cur anhelant coniectores, dum fœtus è parentis viſceribus prodit in lucem? cur antequam naſceretur, aſtra nequidquam in ſummo cæli theatro ſpectabant? An fortaſſe eadem, cum altiſſima terræ viſcera, metallis ferróque rigentia,

peruadant: materna vnius fœminæ viſcera, non permeabunt?

Hinc ne veſtigio moueantur Aſtrologi, præſtantium auctoritatem virorum implorant: nec Petrum Aliacenſem, aut Cardanum aliquem, aliúmue minorum gentium, ſed ipſum Sanctitatis ſapientiſſimę Principem, Thomam Aquinatem auxiliarem vocant: veluti in eâ fuerit ſententiâ, vt docuerit Aſtrologos, licet non certò atque exploratò, veriſimili tamen aliquâ coniecturâ præſcios illorum eſſe poſſe, quæ ab humanæ libertatis poteſtate defluunt. Equidem, cum tanto ſapientiæ nomine, quotidie me deterreri viderem, omnes Angelici Viri locos, eâ potiſſimum gratiâ, percurrere ſtatui. Primam itaque Secundámque Summæ Theologicæ Partem, oculis diligenter perluſtro. Ad Commentarios accedo, in Quartum de cælo librum, ſcitiſſimè elucubratos. Omnia vbique, non ſine curâ obeo. Demum in ſeptendecim integris voluminibus, quę lux ingeniorum, bono publico, confecit, nihil me comperire potuiſſe fateor: ex quo deducant Aſtrologi, ſe tanti auctoritate Viri, de futuris euentis ab humano prodeuntibus arbitrio, veriſimili coniecturâ, poſſe decernere. Demum quia mor-

mordicus contendunt, librum aduerſus Gentes Tertium, in quo Ptolæmei locus affertur, aliquid in gratiam Genethliacorum redolere, iterum relegi, animo à factionibus libero: longéque alia, ac illi vellent, comperi ingeniorum illud ingenium, ibidem fuiſſe meditatum. Et mihi iſti magni Aquinatis nomen obtrudent? Quin potiùs ab eo doctrinarum omnium Sole, æternas ſibi ſuíſque ſideribus tenebras, non verentur?

Tandem Planetarij, ne intentatum aliquid relinquant, à ſapientium auctoritate, ad experimenta ſe transferunt. Hìc enimuero triumphant. Hìc ſibi plaudunt. Hìc profligatam quæſtionem canunt. Omnium literis teſtatum aſſueuerant, Aſtrologos veriſſimè prænuntiâſſe, Romæ regnaturum Neronem, ſed Matrem necaturum, Agrippinâ: occidat, modo imperet, reſpondente. Octauio Auguſto Terrarum Orbis imperium, ità certò vaticinatos fuiſſe: vt is inito Principatu, natale ſuum Thema, aureis argenteiſque inſculptum nummis, quorum aliqui, etiam nunc viſuntur, vulgauerit: quibus aureis notis, Genethliaci fidem apud poſteros certiſſimam, ſuis diuinationibus ſe coemiſſe duxerunt. Et, ne exem-

plis cumulare videar orationem,iam ad ſuſcepti curſus finem properantem, Ioannem Mirandulam afferunt: quem quod, luculentiſſimis duodecim libris Aſtrologos exagitâſſet, ad experimentum prouocârunt, inſpectâque eius geneſi, illum tertio ſupra trigeſimum anno, moriturum prædixere. Et dictum factum, cum euentus, vaticinij veritatem comprobauerit. Sed à quonam logicorum promptuario, illam ſolertiſſimi homines complexionem exprimunt? Aſtrologorum nonnullæ prædictiones euentis reſponderunt: diuinatrix igitur Aſtrologia, veris principijs ſubnixa eſt. Cum innumerabiles quotidie fundant præſagitiones: quid mirum ſi aliquando diuinent? Ecquis enim eſt, qui iaculans totum diem, non aliquando, collimet? Quid verò, ſi aliunde, quàm ab Aſtrorum ſcientiâ, eiuſmodi verorum præſagia deducunt: ſcilicet, ab innato proprij ingenij acumine, rerúmque humanarum peritiâ, quâ nonnumquam pollent? Quid, ſi egregias diuinationes ſuas, tantis verborum inuolucris, ambagibúſque: tanto anfractu ambiguitatéque ſententiarum, tam obſcuris ænigmatis inuoluunt: vt quodcunque tandem eueniat, prædictum fuiſſe, à leuiſſimis præſer-

tim

tim conſulentibus, videatur? Quid ſi etiam Natalia Themata vulgent, tamquam antea fabricata, quàm res longè futuræ, oculis repræſententur: quæ tamen poſtquam facta ſucceſſerint, comminiſcũtur? Quemadmodum Hieronymus Cardanus, Ioannem Picum Mirandulam, anno trigeſimo tertio, è viuis exceſſurum ſcripſit, poſtquam iam occubuiſſet? Etenim, ſi is quem nominaui Cardanus, tanta vidit in aſtris: cur Ioannem Baptiſtam, primum quem ſuſceperat filium, ſecuri in publico foro, feriendum non præſignificauit?

Reſtat actus Genethliacorum poſtremus, qui totus in oppugnatorum Aſtrologiæ deſpectu verſatur. Quâ nos, aiunt, fronte, Philoſophi, Theologíue laceſſere audent: qui ne à limine quidem, hanc Diſciplinam ſalutârunt? Etiamnum è Dialecticorum foro, de cælo, déque Dominantium ſiderum capitibus, ſententiam ferri patiemur? Etiamnum Ariſtotelis, aut Platonis obiectu, quod Genethliacam vel prætermiſerint, vel contempſerint, nos perterrefacient: cum Ptolemæum ſtrenuè pro nobis facientem habeamus? Quo loco, niſi me ſilentij veſtra auctoritas admoneret, deſcribere nõ nullos

poſſem, quorum ſermonibus haud ità pridem me intereſſe memini, dum ſic inuicem altercarentur. Miſeret nos ingenioſi hominis (Ioannem Mirandulæ Dominum loquebantur) quod inexpertus tiro atque ab eâ arte, quam oppugnauit non ſatis inſtructus, cum exercitatiſſimis Aſtrologię Veteranis,certamen ſuſceperit: eo ſucceſſu, vt profectò induſtriæ parem fructum non retulerit. Etenim, quónam laboris euaſit: niſi, vt oſtenderet ſe Aſtrologiæ non agnouiſſe arcana,ínq; intima illius penetralia non peruaſiſſe? O voces,ſapientium omnium indignationem, iuſtiſſimè promeritas! Ergóne ille, qui omnes alias diſciplinas, feliciſſimo complexus eſt ingenio, Genethliacam vnam aſſequi non potuit: quam tamen alij, infinitis partibus eo inferiores, calluerunt? Ille,qui complurium ſcientiarum fructus, in adoleſcentiæ ſuæ flore collegit; qui in breuiſſimo vitæ ſpatio, non ſolùm Homeri Iliadem, ſed omnium ferè celebriorum Doctorum ſapientiam, voluminúmque immenſitatem illigauit,præclara Mathematicorum ſchemata affabre in Tabula delineare neſciuit? Ille,quem ſua tempora ingeniorum Phænicem appellârunt, numquam tamen adeò excelſum vola-

tum

tum explicauit: vt Cancrorum, aut Scorpionum, editas quantumuis cauernas, luſtraret, vel vſq; ad Taurorũ, Leonúmque latibula pertingeret? Illius ergo Diſſertationes, ceu imperitæ inualidæq; contemnentur, quas tamen multo maxima Planetariorum cohors tanti fecit: vt ab Arabum præceptionibus, tãquam ab antiquâ poſſeſſione, decedere ſtatuerit, ac ſe ad Reuolutionum, vt vocant, Directionúmque auxilia transferre? Sed reprehendo me in ſemitam, ac in pauca redigo, quæ huc uſqne concertatorio dicendi genere, coram ſapientiſſimis æquiſſimíſque rerum æſtimatoribus, qui decipi nequaquam poſſunt, diſputaui. Aio itaque Philoſophiam contemplatricem, animos ad ſuî amorem extimulare debere: ſi ea eſt, quæ (vti decet, non intelligendi magìs, quàm viuendi magiſtram) Aſtrologis vera proprofitentibus ancillatur. Contrà verò **Genethliacorum vanitatem redarguit, detractíſque phaleris, ac fuco nudam veritatem candidè ab oculos ponit. Si principum exiſtimationi dignitatíque conſulit, ac ſaluberrimis eorum legibus opitulatur. Si rebus Diuinis deſeruit. Si humani generis libertatem pro-**

pugnat. Si denique ciuium tranquillitati, ac felicitati proſpicit: quæ omnis bene conſtitutæ Rei publicæ, finis eſt.

PRÆ-

PRÆLECTIO IV.

Quâ

TERRÆ QVIES SOLISQVE MOTVS

Demonſtratur, primùm Theologicis, tum pluribus Philoſophicis rationibus.

HABITA

à

JACOBO ACCARISIO

S. T. D. &c.

Tertio Decimo Kalendas Decembris, Anno M. DC. XXXVI.

QVA DIE AGGRESSVS EST ROMÆ, IN ALMO SAPIENTIÆ GYMNASIO, PVblicè explicare libros Ariſtotelis de Cælo.

MARCHIONI ANTONIO IVLIO BRIGNOLO SALENSI, *SERENISSIMI* IANVENSIVM DVCIS FILIO CLARISSIMO,

IACOBVS ACCARSIVS FELIC.

VINDICARE ſum conatus à nimiâ inſtabilitate Orbē terrarum, quam ei quidam affinxerunt. Vindicias in tui nominis ſinum deferendas potiſſimum volui: qui in ijs, quibus emines ſtudijs, ſoliditatem ſemper amâſti. Quæ cauſa eſt, cur libri, quos tuis lucubrationibus recenter exornas: protbatiſſimos antiquitatis Auctores, non ſine ſapientium plauſu, referant. Vale.

PRÆLECTIO

ANno proximè elapſo (Cardinales Eminentiſſimi) cum aduerſus Genethliacos, hoc eſt Gigantes Cæli aggreſſores, arma ſumpſerim: ſub hâc etiam ſtudiorum repetitione, ſimili inſtituto, in Syſiphos illos inſurgam: qui reclamante ſenſu, atque adeò nationum, ſeculorúmque omnium conſenſu, Sole, ac Cælo, pluſquam Herculeâ manu, à perenni curſu reprehenſis, Orbem terræ vniuerſum continuo motu circumagunt.

Quemadmodum enim Caium Curionem Romæ olim, temporarium conſtruxiſſe Theatrum ferunt, quod vertigine perpetuâ ferebatur, Populúſque Romanus in eo, per ſummam ſecuritatem, ſui periculi conditioníſque oblitus, irrequieto curſu rotabatur: ità quotidie, imò ſingulis momentis rem ſe habere nobiſcum, affirmant, qui Cælo, Soléque immotis, nos vnà cum tellure, quanta quanta eſt, cum domicilijs ac vrbibus, Fluuijs, Oceano, ac Montibus, noſtræ conditionis ignaros, oſcitantéſq; circumuoluunt. Quod ſi quis fortè, à nimiâ ſtoliditate, quâ

nos

nos oppreſſos comminiſcuntur, experrectus perquirat: quid tandem ſit cauſæ, cur celerrimus hic motus mortales ferè omnes, corpore ac mente alioquin ſanos, prætereat? cur ſubſtructiones, dum incitatiſſimo curſu feruntur, non corruant? aut nos in caput præcipites non agamur? vel mare, fluminàque, cum liquidiſſimo conſtent elemento, in remotiſſimas aëris regiones non fundantur? has, inquiunt, Peripateticorum eſſe atrâ bile laborantium, non ſolidas rationes, ſed inaniſſima terriculamenta. Ariſtotelem, ac Ptolæmæum, fabulas imperitis ceciniſſe, dum his ſimilia ediderunt argumenta. Si verò iterum, ne ſine acriori certamine, in re ſenſibus adeò reluctante, manus dare turpiter videaris, ad oculorum fidem prouoces: oculorum aiunt infidam eſſe fidem, ac proinde rectè Platonem monuiſſe, vt Philoſophus, non oculos, ſed mentem intueatur. Denique identidem illud poëtæ in memoriam reuocant:

Prouehimur portu, terraq; Vrbéſque recedunt, id eſt: nos, tanquam naui vecti, Sole cum ſuis Equis nequidquam torpente, nobis ipſis quotidie Antipodes efficimur.

Id opinionis portentum, quod profe-

ſectò ſi antiquioribus perſuaſum fuiſſet, illico Aruſpices accerſiſſent, ad illius immanitatem, ſolenni aliquo ritu, procurandam: adeò celebre hoc noſtro ſeculo euaſit, poſt Nicolaum Copernicum, Nouatorem illum quidem, ſed tamen Pythagoræorum Veteramentarium, vt aliquot Chriſtiani orbis Academias, magnâ ex parte, occupârit: quarum dein ductu, nobiliſſima alioquin ingenia, celebrésque noſtræ ætatis Philoſophi, ac Mathematici, in illius factionis partes tranſierunt. Imò, quod mirandum magis eſt, viros in paucis eruditos inuenias, qui fateanrur quidem horum ſententiam abnormem eſſe, atque ad inferos, vnde excitata eſt, amandandam: verumtamen inquiunt, nullum penitus grauioris momenti argumentum à Lycæo, ac totâ Naturæ ſcholâ ſuppeditari, & quod pluſculum etiam eſt, neque excogitari facilè poſſe, quò terræ ſtabilitas, ſolíſque motus euincatur.

Contra hos omnes Vertumnos, qui in magiſtri Copernici verba, an aſtrolabium? iurârunt, ne pugnam irrito labore capeſſam: ſuperſedebo interea ab omni Rhetorum apparatu, qui concionalem potius ornatum, quàm philoſophorum ſeueri-

ueritatem decet. Non recolam priſcorum myſteria, quibus immotus cubus, terræ ſymbolum habebatur. Neq; vetuſtiorum Sacerdotes referam, qui nonniſi ſedentes quieſcenti Opi ſacrificabant: ſed validiſſimo argumenti telo, quod è diuinitatis promptuario petitum, naturam omnem vniuersè tuetur, diſceptationem aggrediar. Tum deinde rationibus à philoſophiâ accerſitis adero cauſæ, quam propugnandam ſuſcepi.

Ea igitur omnia, quæ de rerum naturâ, à Sacris litterarum oraculis, quæ nec falli, nec fallere poſſunt, diſertè vera eſſe pronunciantur: hæc ab vniuerſo Catholicorum Philoſophorum cætu, ſiue illi in Academiâ ſpatientur, ſiue in Templo diſſerant, pro certiſſimâ veritatis regulâ admittenda ſunt. Atqui orbem terræ vniuerſum quieſcere, Solem verò, ac Cælum irrequieto curſu cieri, diuini Codices veriſſimum eſſe teſtantur. Ex his conſequitur, id quod contendebatur: ſcilicet, vt quiſquis ſe Philoſophum profitetur, fateatur etiam, veritatis effatum habendũ illud eſſe, quod terram conquieſcere, Solem verò circumagi perhibet.

Nec quemquam veritati adeo refractarium inuenire velim, qui me ad pro-

po-

poſitionem euincendam compellat: quando illam Synodi Lateranenſis Sanctio, pro ſuâ ſatis auctoritate, tueatur. Alterum itidem, quod in allatâ ratione ſubſequitur, non eſt, cur vllus carpat. Sic enim de eâ loquens diuinorum arcanorum peritiſſimus vates, pro certiſſimo Oraculo ea verba ſubiungit: Deum ſcilicet, ſuper ſtabilitatem ſuam firmâſſe Orbem terræ, qui non commouebitur. Cui diuinæ Cortinæ voci, haud poſt multo, cælitus edoctus, Rex illius filius, mortalium ſapientiſſimus ſubſcripſit: cum terram in æternum ſtare Sacris litteris conſignauit. Quas voces poſtremas, ita accipere neceſſe eſt, vt per eaſdem triplex omnino motus diſcludatur: tum is, quo terra, ex vno in alterum loco, vniuerſi orbis ordine ac ſerie permutatâ, ferretur: tũ is, quo per circulos quidem circa mundi centrum, vniuerſitate rerum nequaquam variatâ, rotaretur: tum demum ille, quo tellus vniuerſa, per ortum, & obitum deſtrueretur, aut produceretur, quemadmodum ijs contingit corporibus, quæ ipſa è ſinu ſuo profundit: quorum ſemper varia naſcentium, obeuntiúmque ſcena, noſtris oculis repræſentatur.

Quod ſi mei cauſas dicti perquiris, has

has præ cæteris, rei de quâ agitur, conſcientiſſimas accipe. Fac terreſtris molem globi in Orbe quopiam magno (ita enim Copernico placet) ſupra Mercurium, Venerémque ſublatam, media inter ſidera ferri: tunc ego ita diſputabo. Facies igitur Solem in firmamento ſidereo minimè à Deo conditum, ſed illum in centrum Mundi, ceu in poſtremum carcerem, ac æternos compedes detrudes: & ibi videlicet repugnante Moſæâ Geneſi, maximè à Cælo diſſitum collocabis.

Facies tellurem ſuperiùs ſublatam, inter aſtra ſuum obtinere locum: contrà verò Cælum deorſum conſtitues. Ac propterea ſalutis noſtræ Aſſertorem Chriſtum, veriſſimè deſcendiſſe dices, cum in Cælum aſcendit: cum verò ad inferos ſe tranſtulit, tunc enimuerò, præpoſterè inquies, certiſſimè aſcendiſſe. Facies terram non ſuis libratam ponderibus, ſuper nihilo rerum penſilem inniti, ſed Cælo incumbentem.

Sanè primâ Sacrarum paginarum Auctoritate à me allatâ, adeò perſtrictos ſe fatentur Origanus, Mulleruſque: duo inquam Auctores, qui editis libris ab Eccleſiâ Romanâ perperam deſciuerunt, ac proptereà ab eâdem jure meritò damna-

ti

ti ſunt: vt (proh quorundam ex noſtris pudor!) motu terræ diurno contenti, annuum tamen, tanquam auctoritati Diuinæ repugnantem, penitus repudiârint.

Iam verò, cum terram inconcuſſo Dei verbo firmam oſtenderimus, reſtat nunc, vt reliquo orationis decurſu, Solis motum, dum ſequimur, comprobemus. Ecce autem in conſpectum nobis principio ſe dat, idem ſapientiæ Magiſter Salomon, cuius illa ſunt Oracula: oritur ſol, & occidit, & in circulos ſuos reuertit. Quod ſi terræ motores, abnormi ſuæ ſententiæ adeò ſe tradiderunt, vt auditis clariſſimis hiſce verbis, adhuc ea ex animo non dilabatur: adiungam Regi omnium ſcientiſſimo, fortiſſimum bellatorem. Ioſue loquor, qui Solem è curſu repræhendit, vt tandem in prodigioſâ illâ die, quâ lõgiorem nulla vnquam vidit ætas, terræ orbis euerſores, ſui noctem erroris diſcutiant. Si verò caligantes oculos in Solis iubar defigere nequeunt, ſaltem in Achabi Solarium, aciem retorqueant: nigríſque illis decem lineis, per quas, Ezechiâ regnante, Sol retroceſſit, abſurdam ſententiam, quam literis conſignârunt, expungant. Nuſquam enim veritati faces

clariores, quàm in illius Horologij vmbris præfulſerunt.

Verumtamen in aliam ex aliâ, ipſi labuntur foueam. Exiſtimant grauiſſima teſtimonia ſuperiùs allata, tamquam figuratas locutiones accipienda. Aiunt Diuinis literis perfamiliare eſſe, vti metaphoris ad communem vulgi ſenſum accommodatis: cum alibi paſſim, tum nominatim in Mathematicis. Quapropter, inquiunt, Solem moueri cenſendum eſt, ſi imperitæ multitudinis, ac vulgi imperitia: non autem ſi Mathematicorum, philoſophorúmque eruditio ſpectetur. Egregium ſanè reſponſum Aſtronomorum, nõ vltra crepidam tantùm, ſed etiam vltra Radium, & Aſtrolabium pronuntiantium. In quod, ſi diligentius inſpiciamus, videbimus eò collineare, vt in dubium reuocet complura, quæ in Sacris litterarum monumentis continentur. Quidni enim inpoſterum quiſpiam dicat, prodigia coram Pharaone à Moſe patrata, oculorum præſtigias, ludificationéſque fuiſſe? Tenebras, quæ diebus tribus, vniuerſam Aegyptum occupârunt, operoſa ſomnia vigilantium hominum appellanda? Oſtenta omnia, quæ in deſertis locis euenêre, pro laruis decepti vulgi reputanda? Vt

pro-

profectò hìc, ſi vnquam aliàs, exclamandum ſit: O labem maximam contumacium ingeniorum! quæ, vt ratas, firmáſque ſuas commentationes ſuſtineant, diuinam ſacrorum monumentorum auctoritatem, in diſcrimen adducunt.

Nec ſe hoc loco tenent alij. Videte, cuius rei auctores ſint. Aiunt ſe, cum Solis quietem, terræque motum docent, pro veritate quidem ſtare, illámque tueri, ſi Philoſophiæ calculis res agatur: nequaquam, ſi Theologiæ ſuffragio, negotium tranſigatur. Et ferendum erit, hanc reſponſi licentiam in imodicum modum ſic excreſcere: vt tum in immortalitate animi redarguendâ, tum in æternitate Mundi aſſerendâ, multi paſſim illud vſurpent? Quin potius danda mihi eſt venia, ſi paulo concitatiùs in illud inuehar. Quid enim! an vllus rectè ſentiens dixerit vnquam: partam à Deo veritatem, quę deriuatio ab illo quædam, & cenſetur, & eſt: Diuinitati ipſi refragari?

Nónne pro ſtultiſſimo commento habebitur, ſi fingas idem aduersùs ſeipſum, nempe verum, quod vnum indiuiduúmq; eſt, in factiones inteſtinas obarmari? An confuſionis tumultus, imperturbatum ordinem aggredietur? aut veritatis lumen

numquam deficiens obſcurabitur? Sed cur pluribus opus eſt? ſatis vapulat, quiſquis ita diſſerit, grauiſſimâ Concilij Lateranenſis ſanctione: quâ damnantur ij, ſiue Philoſophi ſint, ſiue Mathematici, qui ſic diſputando partiuntur: vt dicant, aliquid Philoſophicè verum eſſe, licet Theologicæ veritati refragetur. Quam partitionem ſapientiſſima Synodus, virus, ac luem appellat, hominum temerè Philoſophantium.

Quæ omnia ideo hucuſque dixi, vt etiam contumacioribus innoteſceret, meritò Romanos Patres habito celebri Conuentu decreuiſſe: Aduerſariorum ſententiam Sacris litteris refragari. Aduersùs quam proclamationem, perperam aliqui inſurgunt, afferentes in medium, olim iniuriâ damnatum à Zachariâ Pontificè Summo, Virgilium Salisburgenſem Epiſcopum, propterea, quod Antipodas inueniri aſſeruerit. Neque enim ſic eſt, quemadmodum ab iſtis dicitur. Etenim vel is, qui affertur Virgilius, nunquam apud probatos auctores damnatus reperitur, cum ſolummodo iuſſerit Pontifex, vt illius causâ diſcuteretur: vel ſi eiuſmodi pœnam ſubijt, non ideo id accidit, quia Antipodas reperiri docuerit, ſed

quod

quod aſſeueraret, vel idiotis credendi præberet anſam, aliud hominum genus, alium Solem, Lunámque, ac proinde alium terrarum orbem inueniri. Quare inconcuſſum illud manere debet, Romanæ auctoritatem Eccleſiæ, in rebus etiam Phyſicis admittendam. Quod ex eo docemur, quia niſi id eſſet, neque Animam rationalem (quod proferre nefas eſt) immortalem eſſe definire poſſet: quandoquidem hæc inter ea, quæ maxime naturalia ſunt, connumeretur. Ne vero ſine rationis pondere in tanti momenti re loqui videar, hanc vnam ſubijcio. Sæpiùs contingit pleraque naturalia, ſiue cum Fidei noſtræ myſterijs, ſiue cum Diuinis litteris coniuncta eſſe. Quamobrem, cum ex Sacroſanctis Concilijs, atque adeò veritatis ore colligatur, penes ſolam Eccleſiam Romanam, eas interpretandi, aperiendíque clauem reperiri: conſequitur, de rebus etiam naturalibus ſententiam indubitatam, atque ab omnibus ſuſcipiendam, ab eâdem proferri.

Quò acriùs Copernicanos pungit hæc oratio, eò me callidiùs expectationem deluſiſſe aiunt, tamquam Philoſophiæ fines violauerim, dum in Theologiæ campos pedem intuli. Inclamant me in ipſo

prælij ſucceſſu campum, & arma turpiter mutâſſe. Videte, quàm non factioſo animo cum ijs agam. Hæreat hìc, vt libet, diſputatio. Et quamuis fidem meam aduerſarijs minimè ſic oppignerauerim, vt nihil è Theologicis rationibus me deprompturum eſſe pollicerer: tamen morem eis geram. Seclusâ enim Religionis auctoritate, rem Philoſophiæ ſuffragio conficere conabor. A Templis ergo ad Lycæa; A Salomone ad Ariſtotelem; A Sole Ioſue,ad puluerem Philoſophorum, tranſeamus & campum. Neque enim deſunt in Peripateticorum officinis,qui Stagiritâ Magiſtro, tormenta fabricent ad extorquendam veritatem, ſatis idonea.

Exemplo illud ſit, quod Ariſtoteles quoque vrget, dum quærit, qui fieri poſſit: vt ſtellæ fixæ, præſertim quæ circa polos poſitæ viſuntur, in eâdem ſemper occidant parte ac oriantur? Enimuerò ſi terra conuerſione annuâ, illis accedit, recedit ab ijſdem: profectò latitudinem ortus, meridianámque celſitudinem variare neceſſe erit. Ex quo iacto fundamento, quod ipſi aduerſariæ partis robuſtiores vix, ac ne vix quidem euellunt,ecce tibi alia ratiocinatio conſurgit. Si dixeris Aſtra firmamento infixa, retroceden-

dentia, ac ſtationaria noſtris ab oculis euaſura: quandoquidem terrarum orbis anniuerſariâ vertigine non minus illa, quàm Planetas, vel aſſequeretur, prætereirétque, vel etiam antecederet. Hæc ad pugnam interea non adhibeo, cupio enim eos, qui ſecus opinantur, ſuo mucrone confodere.

Quamobrem celeberrimum illud potius, philoſophorum pronunciatum vſurpabo: quo, inquiunt fruſtra plures adhiberi res ad aliquid præſtandum, cum pauciores peræquè ſufficiunt. Bene profectò habet. Verumtamen, ſubijciam ipſe: in rectè conſtituendâ huiuſce vniuerſitatis machinâ, iiſque defendendis Phænomenis, quæ nobis mortalibus cõtinenter è Cælo apparent: multo plura, & imanem in amplitudinem maiora, à terræ motoribus, quàm à nobis, afferuntur. Quid ergo, ſi hæc ita ſunt, aliud conficitur, niſi, vt illi ſtrenuè hallucinentur, atque à rectâ diſſerendi ſemitâ, cui nos inconcuſſi inſiſtimus, delirent? Rationis huiuſce primam partem ſcimus ab aduerſarijs ſic adamari, vt nos tamquam illius violatores reos dicant. Etenim mordicus tuentur, ſatius eſſe orbem terrarum omnium, qui cum toto, quantumcunque eſt,

cælo collatus, exigui puncti vicem obtinet, quam vaſtiſſimas cæli moles, operoſè nimis, continentérque circumrotare. Nunc reſtat, vt alteram enunciationem, quæ conſequens eſt, pro noſtrâ ſtare causâ demonſtremus. Id Quod nullo negotio fiet, ſi perquiramus à Vertumnis noſtris, cur nos mortales, qui ſicuti Copernico placet, nunc per immenſa fere viarum ſpatia ſtellis firmamento infixis accedimus, nunc ab ijſdem, per alteram tantam locorum voraginem, recedimus: cur, inquam, noſtris oculis eiuſdem penitus inuariatæ granditatis appareant? Illico expeditum habent quod reſpondeat. Scilicet, inquiunt, hæc immenſitas corporũ, licet immodica ſit, tamen, ſi totius mundi fabricæ comparetur, exigua atomus eſt, quæ omnium acies, etiam lynceas effugit.

Quid dicitis audaces terrę motores? Itáne verò exoculatos vos fatebimini, vt neq; Tubi ocularis ope, immenſam veſtrã quam fabricati eſtis machinam, intueri poſſitis? Vtri tandem ſunt, qui ſuperuacanea in rerum naturâ comminiſcuntur? An nos, qui à communi protritóque Philoſophorum, Aſtronomorúmque placito, ne latum quidem vnguem, recedimus? An

An vos, qui triplex omnino cælum, Solis nimirum, Veneris, Mercuriíque, vniuerſámque præterea tellurem, non ſine Lunâ, elementaríque Mundo, atomum minutiſſimam, quæ omnium prætereat obtutum, arbitramini? Vóſne igitur rerum parſimoniæ, ac mundi compendio ſtudebitis, qui nouorum orbium, eorúmque cæleſtium prodigi eſtis? Qui exiguam quamlibet firmaméti ſtellam, ex ijs, quæ vix à nobis cernuntur, vniuerſo Solis cælo ampliorem commentamini? Ergóne beneficio Tubi ocularis maior, latiórque noſtris oculis Aſtrorum fixorum apparebit figura: non apparebit autem, ſi propè eadem, per immenſa ferme itinera, appropinquauerimus? Quorſum quæſo vos, moles adeò ingentes, támque à nobis diſſitæ: vt ne à Mathematicorum quidem peritiſſimo immodica hæc vorago percipi, nedum Aſtrolabio concludi poſſit?

Sed hæc pauca de multis dicta ſint, vt anniuerſariam terrę conuerſionem exploderemus: nunc demum huius elementi diurnam vertiginem, rationum machinis euertamus. Scitis enim à liberali nimis Nouatore Copernico, triplici motu peculiari, donatam terram fuiſſe: non A-

riſtotele tantùm, ſed vniuerſâ reclamante Philoſophiâ, quæ vni ſimplici elemento, vnum tantummodo motum attemperauit. Atque illa quidem, quæ principio ſponte ſeſe offerunt argumenta, non declinabo. Neque enim inane illud comperio, quod à vehementiſſimo, quem experiri deberemus vento, deducitur. Enimuero cum vbique locorum, tum nominatim in editiſſimis montium cacuminibus, ac in mediâ Oceani vaſtitate, tanquam in aperto, liberóque campo collocati, validiſſimâ aſpiratione continenter verberaremur: modicâ enim horæ parte, quam minutum appellamus, viginti, ac his amplius milliaria, conficeremus. Quin hoc etiam addam, quod volucre, ac fugitiuum non eſt, licet ab Auium volatu ſuppeditetur. Non enim imperitè quis dixerit futurum: vt Aues quàmuis verſus orientem volarent, nobis tamen verſus occidentem præcipitare viderentur, cùm terreſtris vertiginis incitatiſſimum curſum, æquare non poſſent. Quis enim non videat, à nobis velociſſimè delatis, longo interuallo illas à tergo relinquendas? Imò verò enitar vltra ea, quæ dixi: illúdq; vrgebo, quod ad extorquendam veritatem conficientiſſimum

reor,

reor, ſi vim ratiocinationis in hunc modum conformauero. Terræ partes omnes recto itinere, non rotationis motu, deorſum prolabuntur. Cur ergo vniuerſum telluris globum, circulari motu verſari cenſebimus? Et quidem allatæ rationis conſecutio, adeò firmâ ex ſe conſiſtit, vt probationis adminiculo, minimè vt ſuſtentetur, indigeat. Id autem, quod pro argumentationis principio antegreditur, æterno experimento, certiſſimâque ſenſuum fide comprobatur.

Hic terræ circulatores, ſuas præſtigias nobis obtrudentes exclamant. Cauete ne id opinemini. Scitote omnia circulari motu in terras prolabi. Quod ſi contra iudicetur, id imperiti vulgi deceptio, oculorúmque ludibrium eſt. Audacem me hoc loco faciet amor veritatis ac ſtudium, ſi potiùs ita reſpondentes, mente commotos, ac intemperijs agitatos prædicauero. Loquor de ijs præſertim, qui non ex hypotheſi, ſed abſolutè, rem ità ſe habere: hoc eſt, quamlibet partem terream, ab vniuersâ telluris mole diuulſam, cum toto eiuſmodi elemento, maximâ ſenſuum ludificatione, confidentiſſimè circumagi pronunciant.

Itáne verò vniuerſum genus homi-

num Corybantum more ſemper deſipiet? Profectò ſi ita eſt, iam Philoſophi ſapientiores, non laureâ, ſed helleboro coronãdi erunt: ſiquidem in re ſenſibus expoſitâ, manifeſtè deſipiant. Sed quorſum hæc diſputamus? Doceant, rogo illos, quænam tandem via ad Philoſophandum nobis aperietur, ſi ſenſus, per quos ad illam ſecurior patet aditus, turpiſſimè falluntur? Quin potius illi malè feriati, qui nos ità interpellant, ſtrenuè hallucinantur, tenebricoſis eorum ingenijs non abſimiles, qui niuem nigram dixere: vel alijs non paulò argutioribus, qui ſe, alióſque vitreos opinabantur, ac propterea accedẽtes omnes, ne colliderentur, ac colliderent, accuratiſſimè refugiebant.

Sed pergendum eſt, ac eiuſmodi Gigantes, qui terram in gyrum ducunt: vnico, ſi fieri poſſit, lapidis iactu, quem ſimul deriſerunt, ſimul ſemper timuerunt, proſternamus.

Comminiſcantur ergo, vt libet, terram circumuolui: ſaxum interea directè, ingenti niſu, in aëra excutiatur. Si quamdiu illud aſcendit, ac reuertitur, magnum quid ſpatij terra confecit: aio, diſertéque pronuncio, nunquam in eundem locũ, vnde euibratum eſt, reuerſurum. Non ſine io-

co

co, noſtra hæc dicta accipiunt nonnulli: tamquam nos ea admirãda proponamus, de quibus ipſi, vti ſupra demonſtratum eſt, nec leuiter dubitant. Quin imò ſubijciũt, quantęcunq; magnitudinis ſaxum, ac molis, cum aëre, tamen in gyrum facillimè raptari. O grauiſſima ingenia veſtra! quæ leuiſſimæ ac verſatilis naturæ elementũ, à terrâ ſeiunctum, ſemperque vario contrarióque ventorum impetu, temere agitatum, circulari tamen motu ad regulam exacto, cum terrâ circumfertis. Sit hoc, qui nos retuſos exiſtimatis, acuminis veſtri certiſſimum argumentum. Sed dicite quæſo, etiam ſi daretur vobis tergiuerſandi facultas, aërque diurno motu circũuolueretur: cur imanis moles à turris celitiſſimæ faſtigio præcipitata, ingenti ſui ponderis momento, quo deorſum incumberet, quamlibet aëris contumaciam, vertiginémque non frangeret?

Deſerunt idcirco prudentiores malè fidam huius reſponſi ſtationem, atque ab eo, tamquam ab afflictâ parte, in tutius ſe Aſylũ conijciunt. Ergo, ſubdunt iſti, à proijcientibus, qui ſimul cum terrâ vehementiſſimâ agitatione in orbem torquentur, impetum quendam in excuſſa corpora imprimi: cuius ope in gyrum eadem conuer-

tun-

tuntur, curſúmque comitantur. Sed minimè ſunt iſta, vt affirmant. Cauſam quæritis? Quia ſcilicet, vis proiectis indita, proceſſu temporis, repugnante Philoſophiâ, non langueſceret: plus enim motionis in ſaxum transfunderet is, qui illud excutit, quàm in ſe poſſideret. Quia deinde leuiſſima corpora, plumæ inquam, cæteráque id genus, æquali ſe conuertendi virtute afflari numquam poſſunt.

Demum, quia ſi quid graue in altum proijceretur: tunc enimuero à terrâ maiorem in ſe deriuaret impetũ, quàm ipſamet haberet. Ampliorem enim circuli à terræ centro remotioris, partem conficiendi, vires acquireret.

Ecquis verò ſanæ mentis dixerit, animantibus quibuſdam, Aquilis nimirum, Miluijs, Vulturibúsque, diebus fermè integris, irrequieto impetu, pennarum ſolo libramento ſe ſuſtinentibus: niſum tam ingentem, fuiſſe illis à ramo arboris inditum, cui manè, dum volatum auſpicarentur, inſederunt?

Hinc abeuntem me reuocat quidam Recentior, qui cum in hanc cauſam diligentiùs inquireret, eidem labanti Patronus accedens, hoc ſubijcit experimenti firmamentum. Si quis, inquit, è ſummo Na-

uis

nis velociſſimè currentis malo, elabi ſinat è manibus ferreum globum: is profectò, ne latum quidem vnguem diſcedens, ſemper malum radendo, ad illius pedem præcipitabit. Quid ni dicamus igitur, ſimili quoque impetu, proiecta imbui corpora, vt in eam partem, in quam is, qui proijcit, excurrit, ferantur?

Principio, inſiſtam ipſe. Quâ fiduciâ ſententiam ſuã indicatus auctor interponit, cum fateatur ſe nunquã id expertum fuiſſe? Si profitetur, palámq; pronunciat, neq; ab Ariſtotelis, neq; à Peripateticorũ, quamuis vrgentibus argumentis agentiũ auctoritate, neceſſitatem ſibi imponi velle, quod illos dicat non expertos fuiſſe ea, quæ in compluribus locuti ſunt: cur eius dicta, legum inſtar ſuſcipientur?

Quid verò, ſi Fermondus grauis Auctor, litteris conſignauit: in Mari Adriatico, id per otium, inſpectantibus quamplurimis, perpenſum fuiſſe, vt ad veritatis trutinam ſeuerè penderetur: omniáque contrà ac Galilæus ſcribit, accidiſſe? Cum enim excelſiſſimo Venetæ Triremis, incitatiſſimè currentis malo, ſaxum fuiſſet demiſſum, longo penitus interuallo puppim verſus deſcendit, cum interea in antecedentem partem, nauis deferretur.

Quod

Quod ſi etiam allato experimento obſi-deremur, ſuppetias nobis tamen aliud af-ferret reſponſum: nempe vtraq; non re-ctè cõmitti, perperámque illud transferri ad terram, cum faſtigium mali tam mo-dicè ab illius diſtet pede, vt diſcrimen a-nimaduerti nequeat. Præterquam quod nimium varia eſt complexio, quâ diurnus, annuúſque motus terræ immiſcentur.

Quod ſi etiam rationibus obluctaris, ſaltem experimento des manus. Conſti-tue tibi ante oculos, quempiam celerrimo curſu rotâ circumactum. Lapidem interea ſupra verticẽ iactu rectiſſimo, quis ppel-lat, ſanè ſaxum neq; iacientis, neque rotæ curſui obſecundabit. Et ſi naui quiſpiam vectus, ſagittam rectà in aliquam cæli pla-gam iaculetur: nónne poſt præterlapſæ nauis tergum longiſſimè relapſa, ſuum extinguet in aquâ regreſſum? Neque, vt horum fidem explores, aut alpes ſuperan-dæ tibi ſunt, aut Oceanus tranſmittendus, aut ad Garamantas & Indos, curſus diri-gendus.

QuareKepplerus Copernicanæ factio-nis Aſſectator, animaduertens ſe in lubri-co nimis loco verſari, ſi eidem aſſentire-tur, aliò ſe reſpondens tranſtulit. Vniuer-ſum terrę corpus magnum eſſe magnetem do-

docuit; Herculeum inquam lapidem: qui niſu validiſſimo, tamquam Giganteis lacertis, corpora ad ſe pertrahit, vt ſuos inſerat in amplexus. Quamobrem, inquit, ſuâpte naturâ deorſum illa non feruntur: ſed à violentiſſimis, tam magni ſideritis, viribus prouocantur.

Enimuero Kepplere (tecum enim libenter, licet breuiſſimè altercabor) ſi ità eſt, vt dicis, cur quæſo, cum magnes languidiùs ferrum à ſe remotum, quàm proximum trahat: nubes tamen, & Aues, quò magìs à terrâ diſtant, non minùs ſegniter, imò velociùs ab illâ deducantur, cum in circinum maiorem flecti ſit neceſſe?

Si ingenioſè, ac quidem tu peracutè, licet falsò, minúſque ſolidè ais, omnes Planetas vi magneticâ ſolis, in gyrum, tãquam à Duce violentiſſimo gregarios, ignauóſque milites duci: ac proinde celeriùs viciniores, tardiùs remotiores, tardiſſimè ſenem illum effętum Saturnum, in circinum rapi: cur etiam remotiora corpora, ſegniùs à terrâ nõ mouebuntur? Sed extra omnem animi commotionem, à te iam ex æquo & bono, percontor: cur, cum magnus tuus magnes, in omnibus ſuis partibus eâdem non polleat virtute, æquali tamen impetu grauia leuiáque circum-

 agat?

agat? Nónne vbi extenditur mare, virtus præpeditur: remiſſiúsque eo loci tellus agit, quò Oceanus extenditur, quàm vbi in continentem illa porrigitur? Verùm accipe, ſi placet, atq; hic tecum diſputationem præcidam, argumentum, quod magis conuincat. Si ita eſt, vt perhibes: cur quo corpora ad terram propiùs acceſſerint, eò nos illa non experimur grauiora: quandoquidem magnes vim robuſtiorem in vicinum corpus, quod ſibi iungere exoptat, quàm in remotum exerit?

Demum Gilbertus Anglus animaduertens ſe, neq; hoc reſponſionis vallo tutum eſſe, ad aliud munimentum confugit. Corpora, inquit, grauia non tam à tellure attrahi, quàm ſponte ſe in illius ſequelã, vehementiſſimo quodam affectu incitare. Verùm, vt hoc etiam effugium, noſtris terreſtris orbis vectoribus, intercludam: aio vim hanc terræ ſequacem, deſeruire tantummodo poſſe, vt ea quæ verſantur in aëre, motum Telluris annuum, non autem diurnum comitentur. Id quod ità euinco. Grauia omnia, cum de ipſius etiam Gilberti ſententiâ, in vniuerſum terræ corpus ſuâpte naturâ ferantur, vt tanquã partes ſuo toti adhæreſcant, illúdque arctiſſimis vinculis complectantur: profe-

ctò, quò id conſequantur, neceſſe non eſt, vt per Diurni motus ambages, anfractuſque circumeundo longius diſtrahantur: quippe via breuiſſimâ, ſuo toti coniungi poſſunt, ſi rectà ad centrum excurrant. Neq; huic obſtabit fini, quod interea tellus diurno motu, per quem neq; centrum, neq; Polos mutat, circumagatur. Præterquam, quod inquirere à te, Gilberte, non deſiſtam: cur, ſi vera profers, Naues, dum per Oceanum ad terram magnũ magnetem, appropinquant, velocius versùs illã tantopere adamatam non ferantur, dum ad littus accedunt: quàm dum in mediâ Pelagi vaſtitate, nil aliud circa ſe ſpectãt, quàm Cælum vndique, & vndiq; pontum? Poſtremò, cum in virtute magneticâ, vti tu ipſe diſſeris, terra validior ſit, quàm aqua: doceas rogo, cur nubes, pluuiarúmq; guttæ, conſimili incitatione, ac alia qualitatis terreæ corpora tellurem ſequantur? Vertas te in quam volueris partem, aqua hic ſemper hærebit, neque facilè percontantibus ſatisfiet: cur in omnibus corporibus, etiam maximè inter ſe diuerſis, virtus mouendi ſe in gyrum, æquè perfecta reperiatur?

Video vos, quorum audiendi liberalitate fruor, ſupremâ iam defatigatione

laſſatos: quare ducam ſupremã diſceptationi lineam, ſi fini, ad quem omnia anhelare debent, pugnam cõmiſero profligandam. Cui igitur bono eſt, tanta, támq; incitata orbis terrarũ vertigo? Non telluri ipſi, ac ſubſtructionibus eidem innixis, quę quaſſatæ diruerentur. Non fluuijs, Oceanóque: illi enim ſæpe in ſuum caput relaberentur, hic verò non acceſſu, receſſúq; ad horarum methodum cõpoſito, moueretur: ſed vel terras omnes incertâ lege inundaret, vel in aëra ingentes aquarum moles iacularetur: cum vertiginis motui peculiare id inſit, vt res à centro longiùs extrudat. Quæ ratio à Ptolæmæo ſcitè allata, cum magni momenti, & cenſeatur, & ſit, imeritò cauillationibus à Galilæo traducitur. Non hominum vſibus, & cõmercio, quandoquidem illi, qui nauigarent, vel in terrâ graderentur, ſi eiuſdem curſui obſecundarent, citiſſimo curſu itinera expedirent: qui verò, vtroq; elemento reluctante cõniterentur, numquam ferè quo deſtinâſſent, curſum appellerent. Non mortalibus, quorum ſenſibus continenter imponeretur: quorum innatus calor perpetuo frigore, quod hæc vertigo inferret, reſtingueretur. Non Copernicanis ipſis, qui nunquam ſatis ſe expedire poſſunt, dũ

ab

ab illis ſciſcitamur: num hic motus natiuus ſit, an violentus terræ? num verò ab intelligentiâ aſſiſtrice, inferatur? Valetudinarijs ſolùm, aëríſque inſalubritate laborantibus, prodeſſet hic motus. Hi enim Cæli poſitu ſubinde mutato, vel ad ipſos Antipodas deferrentur: quamobrem diſcuſſis natiuis nebulis, puriſſimâ, ac ſuauiſſimâ Indici Cęli vſurâ, quotidie fruerētur.

At extra iocum, ſeriò nos quiſpiam ità perſtringet. Phænomena, hoc eſt ea, quæ nobis è Cęlo apparent, nónne rationi congruenter magís, à terræ, quàm à ſolis motoribus explanantur? Nónne minori negotio ab ijſdem Planetarum regreſſus, variáq; eorundem à terræ centro diſtãtia demonſtratur: quâ fit, vt nunc grandiores, nunc verò, nimiùm quantùm parui noſtris oculis exhibeantur? Venus certè, ac Luna, imò ſiderum ipſe Princeps, vti magìs, minúsq; à terrâ receſſerint, maiorē etiam, minorémq; amplitudinem præſeferunt. Quid tum? hìc ipſe interfabor. Eſto, vera hęc poſtrema ſint. An propterea, id potiùs in terræ, quàm in Planetarum motum transfundemus? Quamquam non plurium acęruatione rationum indigebit, qui ſecum reputare accuratiùs voluerit, hæc omnia artificio ſolidiore, ſi Ariſtote-

lis veſtigijs inſiſtamus, explanari: vel ſi omnia phęnomena ſalua eſſe velimus, per eos orbes, quos excentricos, & Epyciclos appellant, vti præſtitit Ptolæmeus haud paulo maior Copernico, qui hæc nugatoriè potiùs ad ſpeciem, quàm veritati conformata exhibuit. Quid verò, ſi recentiores ingenioſiſſimè Venerem, Mercuriúmque, ac Martem circa Solem moueri docuerunt? Nec pugnaciùs in nos id telum intorqueri velim, in quo tantum momenti recentiores noſtri terræ motores agnoſcunt: ſatius inquam eſſe, terreſtrem globũ exiguum ſanè, quàm immanes cæleſtium orbium amplitudines, circũrotare. Enimuerò, vt vera fateamur, minimè à nobis tã exiguum corporis fruſtillum, vniuerſa terrarum moles, vnà cum Pelagi im̃enſitate ſuperfusâ iudicatur. Deinde, ne quis in fraudem ſeſe induat, ſatis, vt opinor, ſuperius demonſtratũ eſt, ſecum ipſos pugnare aduerſarios: hoc eſt, non Ariſtotelis, aut Ptolemæi Aſſeclas, ſed Copernici ſectam, mundi ſiſtema, motúmq; im̃anem in modum, ſupra omnium Mathematicorũ, Philoſophorúmque captum, amplificare. Accedit, quod aliunde terræ naturæ, grauiúmque, ac leuium rationi, repugnare eiuſmodi motum concluſimus.

De-

Demum, ne iterum cõmoueamus rem longâ diſputatione digniſſimã,quis neſciat hominem in orbe terrarum, tamquam Dominum conditũ, Principémq;? ac propterea rationi conſentaneũ magis eſſe, vt faces eius famulatui ſubſeruientes, hoc eſt ſidera, ac ſol ipſe eundem ambiant: quàm illis imotis hominem cõſtituamus erronẽ, ac perpetuò verſatilem; vt vel illis accedat, aut ab iiſdem recedat. Ingeminant adhuc maiori vocis cõtentione. Quorſum quæſo Theologorum gens,noſtra damnare audet inuenta; qui Mathematico puluere,ne leuiter quidem aſperſi ſunt? Cur immiſcent ſacra profanis? Lycæúmque Salomonis porticu permutant? Dicite, qui iſta diſſeritis:nũ vos Deum ſcientiarũ omnium largitorem,Mathematicas,Phyſicásq; Diſciplinas, abſolutiſſimè callere cenſetis? Ita profectò. Quâ ergo fronte vos ad Theologorum peritiam non pertinere, contenditis illa, quæ Deus,Sacris litterarum monumentis, ad eaſdem ſpectantia doctrinas, ſcripta reliquit? Rurſus copias colligunt aduerſarij, vt nos auctoritate laceſſant, inque copiarum cenſu Kepplerum,Origanum,Gilbertum, aliósque magni nominis viros reponunt.

His verò nos nãtionum omniũ, æta-

túmque auctoritatem: quarum ſuffragio, ſi cætera deeſſent, res definiri deberet: opponimus.

Vero veriora hæc ſint: (extremæ ſunt cuiuſpiam voces, aut conqueſtiones, qui etiamſi ceciderit, de genu tamẽ pugnat) at ſi id moris inualeſcat, vt nouitas in Philoſophorum Lycæis, præiudicium ſecum afferat, vt damnetur, acta res eſt. Iam glorioſo labori via præcludetur. Diſputandi in ſcholis, ardor omnis deferueſcet. Diſciplinæ iacebunt incultæ. Aſtronomia cũ ſuis ſideribus æternâ nocte premetur. Et tamẽ quantam lucem præſtantium ingenia virorum, noſtrâ ætate, Aſtris attulerunt ac Cælo? Obloquantur, vt libet, iſti, numquã perſuadebunt religionem atteri poſſe, vt ingenia expoliantur: quibus nõ deſunt citra pietatẽ iminutã, controuerſiarũ nodi, in quibus laudabilis illorũ deſudare poſſit induſtria. Quin potius illud vnicè conari debent, vt dignitati, exiſtimationiq; Philoſophorũ conſulentes, cum ſenſu gratuitas inimicitias nõ exerceant: animóque etiam atq; etiã reuoluãt, Deum quidẽ hominũ diſputationibus Mundũ tradidiſſe: verumtamen illos, ſine illius afflatu Numinis, non inuenturos id, quod ſummus idem rerum Architectus, operatus eſt ab initio, vſq; ad finem.

ORA-

ORATIO DE DEO TRINO, ET VNO.

HABITA

à

IACOBO ACCARISIO

S. T. D. &c.

IN SACELLO PONTIFICVM QVIRINALI.

AD S. D. N. VRBANVM VIII.

XI. CAL. DECEMBRIS.

ANNO

M. DC. XXXIII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

EMIN.MO PRINCIPI

GVIDONI

S. R. E. CARD.

BENTIVOLO.

IACOBVS ACCARISIVS FELIC.

NIl magis arduum, tardo præſertim ingenio, quàm feſtinandi neceſſitas. Id mihi contigit, in difficillimo omnium argumento. Quare mirum non eſt, ſi breuiſſimam hanc Orationem, quò faciliùs expediretur, ab immenſo Diuinæ Trinitatis Oceano, diuerterim ad tenues Baptiſmi à Chriſto inſtituti, riuos. Quos nunc ad te dirigo, quem puriſſimum eloquentiæ flumen, omnes agnoſcunt. Vale.

ORA-

ORATIO.

ILLVXERVNT non ità pridem è Cœlo flammæ, B.P. quibus terrarum Orbis incendio ſalutari conflagrauit. Hodie fæcundæ defluunt aquæ, vt denuo renaſcatur. Quamobrem nunc etiam, ſi vnquam aliàs, neceſſe eſt, vt lætiſſimis acclamationibus, Gloriam Chriſto, Cœli Domino canamus: qui hoſtium turmas, hoc eſt ſcelerum, Idolorúmque portenta, ſacris Baptiſmi vndis obruit, vt redonatam nobis vitam gratularemur. Quemadmodum verò Imperatores ac Reges, filiorum, quos, procreauerint, aut adoptauerint, natales dies, magnificentiſſimâ largitione celebrare conſueuerunt: ità breuiſſimâ perquiram Oratione (qualis ſcilicet extemporalem decet laudatorem) quonam genere munerum Chriſtus, fauſtiſſimâ hâc die, mortales ornauerit, ex aquâ ſalutari renaſcentes.

Ac primò quidem, recluſis ſapientiæ ſuæ theſauris, abſconditum à Mundi cõſtitutione Sacramentum, aperuit: dum fidem nobis impertijt Diuinæ Trinitatis,

quæ,

quę, vt arcanis Areopagitæ Theologi verbis vtar, *Ipſà Diuinitate ſuperior eſt, atque præſtantior.*

Nullus enim extitit vnquam, ſiue hominum, ſiue Angelorum, qui ſolis naturæ viribus inſtructus, ad ſupremum illius faſtigium cogitando peruenerit. Quæ cauſa eſt, cur inflammatiſſimæ Seraphinorum mentes, coram inacceſſo Diuinitatis iubare; alis non vtantur ad volandum, ſed ad oculos ſibi conuelandos.

Quod ſi Antiquorum quiſpiam philoſophorum, de recondito Trinitatis arcano nonnulla diſſeruit: id profectò, vel à Sacris litterarum monumentis, vel à Sybillarum, aut Oraculorum reſponſis, mutuatum eſſe cenſemus: vt de Auguſto perhibetur, quem Romam redeuntem *Aram Primogenito Dei* in Capitolio collocaſſe ferunt: quã deinde Magnus Conſtantinus: in religioſiſſimum Templum, quod hodie viſitur, euexit. Vt, vbi diſcrepantium inter ſe Deorum turba, triumphabat, Vnigenam Dei Filium, *Homouſion*; id eſt eiuſdem prorſus cum Patre, ac ſpiritu ſancto naturæ, Chriſtiana Roma veneraretur.

Faceſſat iam immanis illa Furia, ex re-

torridis oris Aegypti proſiliens, Diuinæ Trinitatis munere, prorſus indigna: quod Filij Diuinitatē, in meridiano Chriſtianæ Religionis ſole inficiari auſa fuerit: cuius adumbrata imago, vel in ipſis tenebris ſuperſtitionis, emicuit, licet eam tenebræ non comprehenderint.

Neq; verò luculentiſſimum hoc fidei donum, quo creaturarum omnium Magiſter ac Dominus, humanum genus ornauit: aut inexhauſtis diuinitatis opibus, aut ſupremo eiuſdem officit regimini. Quādoquidem laudatiſſimus Diuinę Monarchiæ principatus, à Trinitate Perſonarum non labefactatur. Non enim triplex ibi dominatus reperitur, vbi vna penitus trium Perſonarum poteſtas eſt, vna mens, atque voluntas: cuius nutu ac imperio, rerum vniuerſitas temperatur. Vt propterea veriſſimum ſit, omnes gratiarum riuos, qui à Deo rerum molitore deriuantur: à tribus quidem puteis, ſed qui vnus ſunt fons, in orbem terræ proficiſci.

Sed hoc planè Diuinum fidei munus, non ſine altero æquè præſtanti, atque Diuino: hoc eſt vitalis Baptiſmi Sacramento, mortalitati, hodiernâ luce confertur. Quod ſanè ita magnum eſt, vt Mundi ipſius, at-

us, atque adeò omnium noſtrûm procreationem, antecellat.

Id ſiquidem, ditiſſimo gratiæ, virtutúmque theſauro, egenos locupletat; ex terrimâ dæmonis ſeruitute, in libertatem Filiorum Dei tranſcribit; eóſque, qui Chriſto initiantur, auguſtiſſimæ notâ Trinitatis inurit.

Videlicet parum tibi fuerat, Chriſte ſalutis noſtræ Aſſertor æterne, eâ largitate, quâ luſtrales aquas effundi iuſſiſti, Regna tribuere, eorum omnium Capita, quæ ablui imperabas, Diademate coronare: niſi etiam renaſcentes Filios, tuo ſtemmate inſignires, id eſt Beatiſſimæ Trinitatis Sigillo. Quód ne vnquam deleatur, æterno in omnium Chriſtianorum animis Charactere, aquâ firmiùs quàm ære firmâſti, triúmque Perſonarum adiecto nomine, ſubſcripſiſti.

Hâc nobiliſſimâ Chriſtianorum notâ, qui inſtructus non eſt, fruſtra ſibi viam reliquo laudandarum rerum apparatu, in Cœlum adornat: irrito conatu, ſi teſſeram hanc abiecerit, ad Cœli fores, vt ſibi reſerentur, inuigilat.

Hinc Diuino planè inſtinctu, Nicæni Concilij Patres ſapientiſſimi, olim grati animi ergò ſanxerunt, vt trium Diuini-

tas

tas Perſonarum, æneo aliquo adumbrata ſigno, pro Teſſerâ haberetur, quâ Catholici dignoſcerentur à cæteris: nulliſque in Vrbem pateret ingreſſus, qui notam eiuſmodi non præbuiſſet. Scilicet repulſam mereatur ab Vrbe Româ, quicunq; Tergeminâ hâc Portâ, ingredi recuſauerit.

Iam ergo quid reliquum eſt, niſi vt pro noſtrâ tenuitate, muneribus hodie munera compenſemus? Pacem ſcilicet atque animorum coniunctionem ſeruemus, quam à ſummâ Diuinarum Perſonarum concordiâ didicimus. Quæ tanta eſt, vt perfectiſſimus vnius erga alteram vigeat amor, licet proprijs ſingularum notionibus diſtinguantur. Manſuetudinem, ac ſuauitatem imitemur, quando in excelſiſſimâ Diuinitatis Maieſtate, ne mortales præ timore corruant, dulciſſima Patris ſuauitas ineſt. Vnum atque eundem conſtantiſſimæ vitæ tenorem, in nobis ipſis retineamus, quem haurire poſſumus ab vnitate ſupremâ Diuinæ naturæ. Quæ tam magna eſt, vt in mediâ perſonarum varietate, Patris ſcilicet, qui aliunde non naſcitur, Filij ortu, ac Spiritus ſancti proceſſu: eadem tamen, & ſibi cõſtans prorſus, omninóque conſiſtat.

Demum, cum Trinitas Sanctiſſima (vt Dionyſius Pauli Diſcipulus aſſerit) *totius Chriſtianorum ſapientiæ ſit Præſul*: interea ad cumulandam huius diei lætitiam, Vicariâ ſuâ manu, benedictionis fauſtiſſimæ munus, ac peccatorum expiationem nobis impertiat.

ORA-

ORATIO
IN FVNERE
ILLVRTRISSIMI, AC REVERENDISSIMI
D. ANNIBALIS MARESCOTTI,

Iuris vtriuſque Doctoris ſapientiſſimi, & Protonotarij Apoſtolici.

HABITA

à

IACOBO ACCARISIO

S. T. D. &c.

BONONIÆ IN TEMPLO MONIALIVM S. CLARÆ.

Tertio Decimo Kalendas Martij, Anno M. DC. XXVII.

H ODO-

BIBLIOTECA ... ROMA VITTORIO EMAN...

ODOARDO FARNESIO, PARMÆ AC PLACENTIÆ, &c.
DVCI SERENISSIMO.

IACOBVS ACCARISIVS FEL.

TIBI (Dux Sereniſſime) debentur laudes Annibalis Mareſcotti: cuius merita Parentis tui munificentia ſibi vindicauit. Docuit viuus in tuo Gymnaſio leges: defunctus diſcet in tuo ſinu, mortis iuri non parere. Florebit inter Farneſia lilia, quæ ſuis ſudoribus irrigauit. Si ingenij tui lumine, non meæ orationis vitia: ſed extincti virtutes, reddes conſpectiores Bononiæ VI. kal. Martij 1627.

ORA-

ORATIO.

SI lacrymæ, quæ in mœſtiſſimo Annibalis Mareſcotti funere ab oculis effluunt, facundiæ flumina eſſent: equidem non vererer, ne mihi verba deeſſent ad dicendum, cum fletus abundet ad lamentandum. Quamuis ſepulcrales ignes, qui cineralibus diebus in excitatâ hâc Pyramide collucent, nullis eloquentiæ luminibus egeant: vt nunquã extinguendum præſtantiſſimi viri gloriæ ſplendorem, demonſtrent. Vos (Ornatiſſimi viri) in orationis meæ breuitate, veſtri doloris prolixitatem, & ingentia defuncti merita penditote: quæ tanta ſunt, vt non oratione, ſed ſilentio poſſint amplificari. Neque ad eum exornandum, neceſſe eſt ab antiquiſſimâ ſtirpe Mareſcottorum laudes accerſere: ſiquidem maiorem in eam, licet clariſſimam, refudit, quàm acceperit dignitatem. Nigras Marij, & Mareſcotti vetuſtiſſimorum domeſticorum, è regiâ ſobole proſeminatorum imagines, pulcherrimâ virtutis formâ, quam in ſe ſe effinxit, repræſentauit. Sacram Raynerij Cardinalis purpu-

ram, quâ gentilium ſuorum ſtemma præfulſit, verecundo modeſtię rubore expreſſit; ſtrenuiſſimorum militum, inuictiſſimorúmque Ducum Galeatij, & Orlandini triumphos, præclarâ ſui ipſius victoriâ ſuperauit. Quæ verò duæ res in eo potiſſimum excelluerunt, ſtudium videlicet ſapientiæ, amórq; virtutum: eæ nominatim, in tam luctuoſis parentalibus, ad afflictæ huius Vrbis mœrorem, nobiliſsimæque illius familiæ, dolorem leuandum commemorabuntur.

Humanum ingenium eâ dignitate præditum eſt, vt non auro, quo obſcuræ etiam montium latebræ abundant: non laureatis faſcibus, quos ſolitariæ quoque ſiluæ pariunt: ſed ſcientiarum theſauro ditescat. Ijs verò Annibal, adeò præſtitit, vt paucos ei pares noſtra ſecula tulerint, & poſteritati commendârint. Nihil hîc de bene auſpicatis illius natalibus, qui Bononiæ contigerunt: vt qui ſcientijs deſtinandus erat, non niſi in vrbe ſtudiorum matre naſceretur. Nihil de florente iuuentute; quam perinde, ac ver nouum, omnibus rhetorum, poëtarúmque coloribus ingenioſè adeò depinxit: vt in excuſo de Arte Rhetoricâ libro, dum alijs benedicendi rationem præſcriberet,

ſe-

ſeipſum perfectum oſtenderit oratorem. Nihil de ſtudijs cognitionis, quæ calluit ſic prorſus, vt obſcuriora philoſophiæ arcana feliciſſimè penetraret. Mitto Sacrarum litterarum ingenioſiſſimas interpretationes: in ſanctiſſimorum, doctiſſimorúmq; patrum mouumenta, eruditiſſimos commentarios: hiſtoriarum antiquarum aſſiduam lectionem; Oecumenicorum Conciliorum, Tridentini præſertim, abſolutiſſimam cognitionem. Egregiam verò iuriſprudentiæ doctrinam, ſileri nō patiar, ex quâ non parùm ad Annibalem laudis corriuatur. Tanta enim eſt legum auctoritas, & maieſtas, vt ijs qui inſtitutus fuerit, ſupra communem hominum conditionem ſublatum, ſapiens ille teſtetur, qui infra ſe omnes in philoſophandi labore, reliquit. Legibus Imperatores obediunt, faſces ſubmittunt Reges, celſiorá ſceptra ſubijciuntur. Hæ pro domibus habent principum aulas, eorundem ora pro adytis, pro ſatellitio armatos exercitus, pro patriâ vniuerſam rerum naturā. Leges Aſtrϛæ gladio, inuolucra litium ſecant; illius ſtatere, publicarum, priuatarúmq; rerum momenta examinant; in iudicijs ſententias ferunt, in pace dominantur, in bello triumphant. Harum in diffi-

cilioribus quæſtionum explicandis nodis; quis in Annibale noſtro ingenij facilitatem: in iuriſconſultorum, vbi opus erat, multitudine recenſendâ, memoriæ ſingularitatem: in firmandâ rationum ponderibus propriâ ſententiâ, iudicij grauitatem non admirabatur? Liberat me ſuſpicione mentiendi, Firmana Academia, quæ ſuis natalibus nullum alium parentem, quàm Annibalem expetiuit. Liberat Parmenſe Gymnaſium, quod in lucem vix editum, illi doctrinarum lacte alendum, ſe libentiſſimè commiſit. Liberat Ranutius Dux Parmæ Sereniſſimus, atque Sapientiſſimus, qui dum viueret affirmauit, ſe gratulatum ſibi ſæpius fuiſſe: non tam quod litterarum vniuerſitatem, quam iampridem animo meditabatur, tãdem excitauiſſet, quàm quod Annibalem Mareſcottum, in eâ docturum acceſſiſſet: imitatus Macedonis Philippi ſapientiam, cuius virtutem bellicam æmulabatur, qui Ariſtotelis doctrinam, filij natalibus antepoſuit. Feliciſſimæ voces, quæ nullam vnquam de te, Annibal, ætatem ſilere patientur; benigniſſimâ illarum aura immortalis tua gloria reſpirabit; gratiſſimo earum ſono, de tui ſepulcri ſilentio, nunquam tacitura Echo reſpon-

de-

debit. Faceſſant nunc, qui Annibalem Pœnorum ducem, pēnis ad cęlum extulerunt, quod primus Carthaginenſibus arcem extruxerit, atq; in eâ aduerſus hoſtiles acies conflixerit. Nam ego maiora huius laudis ornamenta, in Annibale Mareſcotto fuiſſe contendo: qui in duobus celeberrimis Italiæ Gymnaſijs, firmiſſimis pacis propugnaculis recens erectis, otio, atq; ignorationi, pernicioſiſſimis vrbium, regnorúmque hoſtibus, acerrimum bellum indixit. Quoúſq; (ô Annibal!) tecta illa extabunt, tuæ gloriæ monumenta conſeruabuntur. In illis muſarum domibus, à temporũ iniurijs, illęſa ſe, tua fama tuebitur. Quoúſq; oratorum voces ibi tonabunt, tua merita cõmemorabuntur. In doctorum atramentorum vmbris ſplendebis; in audientium coronis regnabis; in diſputantium prælijs triumphabis. O te fortunatiſſimum! cui laborum partus, gloriam peperere imortalem. Feliciſſimæ creſcent geminæ Academiæ, quarum exortum, contigit tuorum ſudorum effuſione irrigari, tui ingenij ſplendore fœcundari.

Eſſet hic locus cõmemorandi beneficia, quæ ab Annibale in publicas Bononię ſcholas ſunt deriuata. Verùm voces oratorum nō requirunt, cum de ijs marmora

 lo-

loquantur, quæ in auguſtiſſimâ illâ ſapientum Regiâ cernuntur. Viuent diutiùs in marmore ſepulta, quàm in dicentis ore naſcentia. A Gymnaſijs itaque proficiſcamur ad Templa, in quibus Annibal haud obſcura præ ſe tulit argumenta religionis: ex quâ cæteræ virtutes, de quibus ſecundo loco dicemus, extiterunt.

Non cōmemoro, quàm eſſet aſſiduus in colendo Deo, quàm propenſus in venerationē maximæ Virginis, cuius flagrantiſſimus amor, neq; in extremæ ſenectutis imbecillitate deferbuit. Erat in eorum, quorum gerebat curam, patrocinio ſollicitus, ad labores celer, tardus ad quietem, ſomni parciſſimus, in vigilijs prolixus, in ſtudijs indefeſſus, in conſultationibus ſcribendis tolerantiſſimus, in rebus aduerſis conſtans, in proſperis moderatus. Beneficia non inanibus verbis pollicebatur, ſed plenis manibus conferebat. Quoties illū Bononia vidit labantes inopum cauſas, ſuâ auctoritate ſuſtinentem: vt quos aduerſa fortuna deprimeret, Annibalis caritas ſubleuaret? Quoties, cum doceret, plaudentibus acclamantium vocibus, ſilētium indicere conatus eſt: ratus moderatioris animi eſſe, proprias laudes prohibere, quā ſurdas ijſdē aures exhibere? Quoties

ties adoleſcentes ingenuos, qui ſe illius diſciplinæ cõmiſerunt, non tam ſcientijs imbutos, quàm alijs beneficiorũ generibus cumulatos dimiſit? Id quod, cum ex cæteris palàm eſt, tũ quod Firmi ſapientiſſimũ virum, diuitiarum inopiâ preſſum, in Doctorũ ordinem adſcripſit: nullâ admiſsâ pecuniâ, à quâ neminem eximendũ eſſe, illius Academiæ cõſuetudo, obtinuerat. Scilicet docere voluit Annibal, naſci laurum, vbicunq; doctrinarũ ferax ingenium reperiatur. Docuit, non diuitũ crumenam, ſed frontem ſapientum, Deliâ fronde coronandam. Docuit litteratorum annulo nõ inſerendum eſſe digitũ, qui pecunias numerare calluerit, ſed qui calamos eruditè tractare conſueuerit. Quæ omnia non à me oratoriè exaggerari, ſed veriſſimè narrari, teſtetur iuuenum ornatiſſimorum Collegium de Montealto, (cuius in regimine, ſecundũ à Cardinali patrono locum obtinebat) quibus, nõ tam ſe prouidentiſſimum tutelarem, quã patrem præbuit amantiſſimum. Teſtetur Iuriſperitiſſimus Sfortia Odus, cuius illa vox erat: Annibalis noſtri calamũ, Iuſtitię gladio ſibi aptatum videri. Teſtetur ima animi demiſſio, in ſumâ principum gratiâ, Gregorij XV. Sãctiſſimi Reipublicę Chri-

ſtianæ moderatoris, qui Mareſcotti litterarijs præceptionibus adoleſcens informatus fuit; Franciſci Mariæ Vrbini Ducis ſapientiſſimi; ac Sixti V. Pontificis Opt. Max. qui Annibalē honorificentiſſimâ inuitatione, Firmū conuocauit, vt doceret. Et tamē cuius animi moderationis eſt, benignâ principum aurâ, non extolli: Quàm multi, vix aurea aularum amicarū laquearia ingreſſi, ferrea viſcera in ſupplices induunt? Vix facilem principis affatū inuenerunt, cū ſe difficiles adeuntibus præbent? Sub amici ſceptri vmbrâ ſuam obſcuritatem illuſtrant; coruſcantibus diadematum gemmis, ſuam fœditatem exornant; alienarum coronarū auro, propriorum meritorum egeſtati diuitias parant. Longè ab his Anibal abfuit, qui in Pontificum ſanctiſſimorum, Sereniſſimorúmq; Ducum fauore, in frequentiſſimorū Gymnaſiorum plauſu, ſemper ſui ſimilis extitit. Nec alia ſeueritas in eo apparuit, niſi quā ei, vel auguſta oris ſpecies, vel proceri corporis maieſtas, conciliabat. Perſarum moderatores, ſi quem in publicarum legū interpretum numerū, irrepſiſſe dolo malo cōperiſſent, qui formâ non eſſet pręſtanti, illico expungebant: exiſtimantes iuris dignitatem, legiſlatoris deformitate, contami-

minari. Fuerit hæc morum fœdiſſima barbaries, in alienorum corporũ turpitudine, exprompta. Sanè veriſſimum eſt, legum maieſtatem in Annibalis Mareſcotti, ſpecie digna imperio, regnâſſe adeò: vt quoties Odus acerrimi iudicij vir, illũ audiret docentẽ, & videret, toties cœli nullis obſepti nubibus, grauiter tonãtis, formã ſibi obiectam eſſe teſtaretur. Quæ verò micãtis ingenij fulgura, quæ argumentorũ fulmina, illa tonitrua comitarentur, facilè ex lacrymarum pluuiâ, quæ illius obitum cõſecuta eſt, coniectura aſſequi poteritis. Iure enim Parma luget, atque ad illius ſepulcrum exornandum, manibus plenis dat Farneſia lilia: vt inter illa ſpiret immortalitatis odores, quæ ipſius quondam ſudoribus irrigata, excreuerunt. Iure Firmani dolent eum obijſſe, à quo per fundatam Academiam acceperunt, imortalitatem. Iure Bononiẽſes lamentãtur, quod ſtudiorum mater, ſcientiarũ veluti parte orbata, mœrore cõficiatur. Leuant tamen omniũ dolorem laudatrices Muſæ, quæ in iuſtis hiſce funebribus atratę, atq; pullatę, effuſi atramenti lacrymis, circa Cenotaphium ingenioſè plorant, mœſtisq; carminũ pedibus ducere choros cernuntur. Conſolatur hic frequentiſſimus omnium

or-

ordinum cōcurſus, qui dum Añibalis laudes, partim verſibus mandatas, partim ſolutâ oratione celebratas inſpiciūt: ſe tantùm illius dignitate lætari fatentur, quãtùm ob mortem cōtriſtantur. Conſulatur ille idē, quem lugemus, qui (vt auguratur animus) aliquâ de cœli parte, nos aſpiciēs admonet, ne diutiùs cōqueramur: quod ſe iam feſſum annis, ad cęli requietem Deus euocârit. Quamquam quid nobis ſolatij, tua vox Añibal afferre poteſt, ſi maturior ereptus es, vt acerbior noſtri doloris ſenſus recrudeſceret: Reliquiſti nobis multa, quæ imitaremur, diligentiam in imbuēdâ litteris iuuentute, in orando Deo aſſiduitatem, in conſulendo integritatem, in iuuando quamplurimos ſingularitatem. Relicta eſt præclara generis tui ſoboles quæ in tuarum laudū poſſeſſionem, meritorum iure vocatur. Relicta ſunt in publico Boloniæ Gymnaſio, tuę ſapientię marmorea monumenta, Muſarum ſtylo exarata, quæ nulla vnquam vetuſtas delebit: ſiquidem gentilitius Mareſcottorum Pardus, qui inſidet, perterrefacti temporis morſus prohibebit. Sub nobiliſſimæ illius Belluæ maculis, perennatura Annibalis Mareſcotti ornamenta, me tacente, legantur.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

BIBLIOTECA